SUBSIDIUM
MEDICINÆ
—
DUR:
SCACCHUS
—
1596.

I 1

77 h 36

PR 16.

T I h 36

65773/A

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

SCACCHI, D.

SVBSIDIVM MEDICINÆ, IN QVO, QVANTVM DOCTA MANVS

præſtet ad immanes morbos euellendos mirum in modum eluceſcit.


Quę in ipſo ſeriatim tractentur ſequens indicabit pagella.

Auctore Domino Durante Scaccho Prec. Ciue Fabrianenſi Chirurgo, atq́; Phyſico expertiſsimo.

Adiecta eſt pręterea eiuſdem Epiſtola de medicinę laudibus non ſpernenda,

Ad Perilluſtrem, ac Reuerendiſsimum Dominum D. Iulium Octinellum Epiſcopum Faneſtrem.

SOCIETY OF LONDON MEDICAL



EX SVPERIORVM PERMISSV.
VRBINI, Apud Bartholomæū, & Simonē Raguſios fratres, 1596.

Duplicate

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

MVSEVM
BRITAN
NICVM

X Fa

I

QVID QVOQVE LIBRO CONTINEATVR.

PRIMO Libro agitur De oculorum morbis, palpebrarumq. curatione tum per topica remedia, tum per Chirurgiã docta manu adminiſtratam.

SECVNDO Veſicæ morbi, & eorum operationes inſinuantur noua quadam methodo.

TERTIO affectus præter naturam difficiliores, noſtrum corpus ſolicitantes, extirpantur.

QVARTO breui meth. Tumorũ, Vulnerum, Vlcerum, Fracturarũ, ac Luxationum traditur curatio.

DE Virtutibus Balnei Caſtri Cerreti in Agro Fabrianenſi in Piceno.

IN calce habetur Epiſtola de medicinę nobilitate non ſpernenda.

PERILLVSTRI,

AC REVERENDISSIMO PRAESIDI IVLIO OCTINEL-LO EPISCOPO FANESTRI.

Durantes Scacchus Medicus S. P. D.

TANTA *eſt, optime Iuli Epiſcope, fama nominis tui, religio, morum candor, vitæ integritas, cæteraq. & animi, & corporis exemplares dotes, vt vno omnium ore huiuſce noſtræ tempeſtatis ſpeculum chriſtianæ religionis ab omnibus & habearis, & prædiceris. In quo quidem homines male ſecum actum exiſtimare poſſunt, ne ſcilicet ſibi proſpicere, ac de illorum*

commodis, vt velles, & cuperes, ſatis cogitare poſſes; dum inuida fortuna te oculorum lumine orbare, in tenebriſq; detinere tentauit. De qua quidem re nobis admodum moleſta, atq. acerba cum ſuperioribus menſibus in ſermonem veniſſem cum Ioanne Baptiſta Pellegrino tui ſtudioſiſſimo, cupidiſſimoq. ac mei amantiſſimo, ſpectatę probitatis viro, ille (qua eſt humanitate) auctor fuit, & hortatus eſt non ſemel, vt ſecum Fanum proficiſci vellem, vt amplitudinem tuam viderem, ac viſerem. Quod adhuc præſtare minime potui ære publico conductus; & aſſidue a re medica factitanda detentus differre, atq; in aliud tempus reſeruare neceſſe fuit. Interim, cum ægritudinem, cauſas, ſigna, & curationem diligenter cum meis commilitonibus probatiſſimis, doctiſſimiſq. viris diſcutiendam, & examinandam propoſuerim; omnia, quæ ad rem facere videbantur, collegi, litteriſq. mandaui, vt veluti floſculorum lectiſſimum faſciculum. reuerenter tibi dono traderem, ruſticos Ægy-

ptios

ptios imitando, qui cum non haberent, quod Mercurio numini ſuo efferrent, agreſtes fructus ei offerebant. Quapropter non munuſculum leuidenſe, ac craſſo filo, ſed offerentis animum pro tua valetudine recuperanda longe promptiorem, tibiq. plurimum addictum, rogo reſpicere ne dedigneris. Tres alios libellos de grauioribus affectis, humanum genus infeſtantibus, quos antea compilaueram, ac typis excudendos dare ſtatueram, ad illos hunc De oculorum affectibus in amplitudinis tuę gratiam addendū iudicauimus, & ex quattuor libellis particularibus ſeiunctim exaratis in vnm corpus cōprehendimus. Quod omne rem gratam D. tuæ perilluſtri, ac Reuerendiſſimæ vt facerem, pro cura affectorum oculorum libenter confeci, illudq. ad te miſi: cui tanquàm primario patrono dico, atq. committo, & offerendo conſecro, vt ab vniuerſis vitiligatorum, ac detrahentium meorum morſibus, tanquam tutor magnificentiſſimus, grauiſſimuſq; Achilles

 defen-

defendas. Quod vt facias, te etiam, atq. etiam rogo. Vale Fabriani Calendis Martij. M. D. XCVI.

DVRANTES SCACCHVS

CAESARI SCACCHO FRATRI S. P. D.

CVM quinque ſupra decem ſint annorum curricula completa, ex quibus opuſculum de grauioribus humanum genus infeſtantibus morbis, & manuum operam expecentibus conſcripſerim, de quibus ſæpius communicauimus inter nos, & præſertim cum ex Anglia redires, quò ab illius regni Regina pro re medica factitanda accerſitus fueras; tuq; a me poſtulaueris enixe non ſemel tantùm, ſed ſæpiſſime, vt hos meos labors in lucem darem; tibi morem gerere ſtatui tum vt humano generi pro virili

pro-

prodeſſem, tum etiam vt Scacchorum genus ex familia Aſclepiada, vt ita dicam, oriundum aliquod ſignum oſtenderet, teſtimoniumq; , quo quemadmodum ſemper, re ipſa, Mundo profuit, ſic aliquo nunc ſcripto profuiſſe teſtatum relinqueret. Nam, vt publicis patet ſcripturis, ex huiuſmodi familia mirus quidam fuit Medicus, qui iampridem ante ducentos annos Chriſtianiſſimo Gallorum Regi medicinæ commodis inſeruiuit: & quadam quaſi excellentiais Romanus Phyſicus vocabatur: & ex illo deſcendentes medicam artem quàmplurimi, quidem profeſſi ſunt: & nos etiam illorum veſtigia ſecuti eandem profitemur ſcientiam. Nam tu, Regina ſic imperante præfata, ipſius lautis ſumptibus, aliquibus Magnatibus comitatus, in Angliam vocatus, profectus es, ibique per decem menſes commoratus, denique mille aureis, plurimisq; alijs donis auctus ab illa, quæ iterum milliare ſuperabant, in Italiam reuerſus, à

præ-

præclaris Firmanis ciuibus conductus in publico illo Gymnaſio publici lectoris munus obijſti, à pluribus ciuitatibus optatus, & accerſitus, aliquibus cum maxima laude te præbuiſti. Cum igitur tot muneribus, tot gratijs, tantisq. laudibus fuerimus à medicina donati, cur aliquam illi gratiam habere non debemus, ne præſertim ingratitudinis nota inuramur? Quare opuſculum hoc, quod iandiù conſcripſeram, cum ſe ſe mihi occaſio obtulerit, in lucem dare placuit, tùm quia grati animi argumentum, tùm etiam quia hominibus maximo vſui futurum opinor, non quidem elegantia ſermonis exornatum, ſed vtilitate, & iuuamine plenum. Ex quo facile futurum ſpero, vt quanti docta manus pluris arte valeat, ſint omnes intellecturi: & ni fallor, commentaria ſupra ſecundum Gal. librum ad Glauconem, diuino munere in lucem me daturum quàmprimum cenſeo: ex quibus vniuerſæ

chi-

chirurgiæ diſciplina fulgentiſſimâ prælucebit. Quare lectione à te liber emetiatur, ſententiamq. tuam, an imprimendus ſit, proferas: nam, ſi ſuffragaberis, cito in lucem dabitur. Vale interim. Fabriani Calendis Martij, anno Domini. M. D. XCVI.

IN LAVDEM D. DVRANTIS SCACCHI INCERTI AVCTORIS

Carmina.

PVLCHRA *Sabina Precẽs alto tenet aggere, priſcam*
Chirurgis patriam. Celebris Chironis alumna
Huc fugiens fleuit, rupitq; hanc pectore vocem:
Phębe ſagittipotẽs, proſtraſti vt terga draconis
Horrida peſtiferi, in gentem ſic dirige tela,
Nomine ſub famulæ noſtras quæ infida refixit,
Atq; ſuas fixit leges, miſeramq; fugat me.

Tunc

Tunc Nomius dictis illam ſolatus amicis,
Eia age rumpe moras, ſic inquit, tecta paterna
Deſere Durantes; quaſſa, celeberrime, ſeruos
Peruerſos Dominæq; tuæ: da iura, miniſtros
Atq; nouos illi. Quantā tanto omine Scacchus
Tunc dederit ſtragem ſeruorum Roma Quirini
Scis venerāda domus: nouiſti tu Vmbria, tuq;
Fertile Picenum. Peruenit ad antra potentis
Aera miniſtrantis Fabri crepitantia lani
Deniq; tela petens. Ianus dedit arma petita,
Perpetuamq; domum. Tunc vicit filius illic
Durantes Fabri factus famuloſq; per orbem
Nomina toll nteis artis quaſi perdita ſparſit.
Hìc Moderatus adeſt: nā hìc Mēſurat⁹: et ìllic
Corpora multa beat (ſi æterna beata dicuntur,
Et parcit tandem Mors vitæ ſi atra ſecundæ)
Cæſar: & Aſcanius prudens hìc vlcera curat:
Vrbinū Peribertus habet Petrus atq; Iacobus,
Quem patria egregium poſcit Matillica, donec
Euocat hùc animas orco. Phœbi ergo miniſter
Iura dat en Scacchus. Cupies diuina videre
Candide dum lector, doctiſſima fronte ſerena

Iura

Iura leges. Medicus Medicum nã condere leges
Has docuit Scacchum cœleſtia ſydera luſtrans.

Diſticon de eodem Durante.

DVrantem genuere Preces: aluitq; Deorũ
Roma decus. Medicũ Ian⁹ habetq; Faber.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

ANIMALIA *reptilia, cauernis obcæcata, quomodo viſum recipiant. chart.* 29
Aqua pretioſa ad clarificandos oculos. 31
Aqua mirabilis ad oculos. 31
Aqua aurea ad oculos. 32
Acus pro depoſitione cataractæ qualis. 53
Acus pro depoſitione cataractæ cuius metalli. 54
Ætas magis calculis obnoxia quæ: 133
Ægritudines plurimas curat balneum castri Cerreti. 391
Anatomia Veſicæ. 116
Ardor vrinæ. 167

Ani muſculi quot. 262
Ani inteſtini anatomes. 262
Actuale cauterium præſtantiſſimum. 271
Aqua in ſcroto quomodo curetur. 291
Apoſtema ventoſum ex quo fiat. 351
Apoſtemat: ventoſi cura. 352
Apoſtematis aquoſi curatio. 353
Atheroma quomodo curetur. 356
Abdominis vul. cauſæ, & ſigna. 375
Aqua balnei caſtri Cerreti. 388
Aqua balnei Cerreti ad plurimas ægritudines. 391

B

B*Alneum caſtri Cerreti.* 388
Balnei Cerreti locus. 389
Balnei Cerreti iuuamina. 392
Balneum Cerreti quo tempore competat. 390

Cata-

C

CAtaractæ in quo humore fiant. 10
Cauterium in nucca in affectibus oculorum. 28
Cauterium poſt aures in affectibus oculorum. 28
Cataracta confirmata quæ. 35
Cataractæ cauſa. 35
Cataractę locus, & ſedes. 36
Cataractæ nomen variat ſecundum ſua tempora. 37
Cataracta quando verè dicatur. 37
Cataracta vnde dicatur. 38
Cataractarum differentiæ. 38
Cataractæ curabiles per colores cognoſcuntur. 39
Cataractarum cauſæ generales. 40
Cerebrum, & ventriculus conſentiunt. 42
Cataractæ futuræ cauſa. 43

Cataractæ motu, & colore dignoſcuntur. 44
Cataractæ completæ ſigna. 45
Cataractæ bonum ſignum. 46
Cataractæ obſeruatio. 46
Cataractæ depoſitioni quæ obſtent. 47
Cataractarum prognoſticum ambiguum. 47
Cataractarum depoſitio tuta, & lucroſa. 48
Cataracta ſi redeat, quid agendum. 66
Cacochymia purgatione tollitur. 82
Cauteria quibus, & quo loco parentur. 85
Cauterium actuale præſtantiſſimum remedium. 86
Cauterium in maximis procellis tuta anchora. 87
Cauterium in puellis commendatur. 88
Cauterij iuuamina plurima. 89
Cauterium actuale præſtantius potentiale. 92
Cicatrices, & albugines oculorum. 93
Cicatricis oculi cauſa, ſigna, & iudicium. 94
Cicatrices oculorũ quibus remedijs tollant. 97
Corneæ ſanies quomodo remoueatur. 100

Calculi ſectoria, antiqua operatio. 136
Chirurgi munia. 141
Cimex poſitus in cãnali vrinam prouocat. 163
Catheter quomodo immittatur. 167
Caruncula in collo veſicæ. 172
Carunculæ cauſæ, ſigna, & cura. 172
Caruncula ne redeat, difficillimum eſt. 179
Candelæ ad inducendum callum in caruncula. 179
Candela ex plumbo, & mercurio in caruncula. 180
Caruncula curatur actuali cauterio. 180
Corollarium de calculo eximendo. 193
Calculi ſectoria, per cauterium nouum inuentum. 194
Calculi ſectoria in pueris ante decimum quartum annum. 194
Calculus ſaltu in collo veſicæ detruditur. 195
Cibaria lapidem gignentia. 202
Carcinomatis curatio per chirurgiam. 330
Carbunculus quid. 343

Carbunculi cauſa, & ſigna. 343
Carbunculi cura, & prognoſticum. 344
Cancer apoſtemoſus quomodo curetur. 357
Capitis vulnus quomodo curetur. 369
Cerebri, & membranæ vul. ſig. 370
Cordis vul. ſig. 373
Cancer exulcer. quid, cauſa, ſigna, & cura. 383
Cerreti in agro Fabriani balneum. 383

D

Depoſitio cataractarum quo tempore molienda. 51
Depoſitio qua diei hora molienda. 52
Depoſitio decreſcente luna fieri debet. 52
Depoſitio, cum luna ſignum tenet, non fiat. 52
Depoſitio cataractæ quo inſtrumento fiat. 53
Diæta obſeruanda poſt depoſitionem cataractæ. 65
Dolor poſt cataractæ depoſitionem quomodo ſedan-

ſedandus. 66
Dolor ingens venæ ſectione tollitur. 81
Dolor anodinis demulcetur. 82
Dolor narcoticis obſcuratur. 84
Dolores oculorum meri potione curantur. 84
Dolor quibus modis remoueatur. 168
Dilucidatio eximendi calculi. 293
Dieta obſeruanda poſt ſectionem lapidis. 200

E

Euphraſiæ vſus in affectibus ocul. mirabilis. 29
Euacuatio an fieri debeat ante depoſitionem cataractæ. 89
Eryſipelàs quid. 348
Eryſipelatis cauſæ, & ſigna, cura, & iudicium. 349

F

Fiſtula lacrymalis quid. 239
Fiſtulę lacrymalis cura. 240
Fiſtula lacr. quomodo cauterizet. 249
Fiſtulæ ani quæ curabiles, & quæ ſecus. 267
Fiſtulæ ani cauſæ. 267
Fiſtulæ ani ſigna, & prognoſticum. 268
Fiſtula quid, cauſa, ſigna, & cura. 382
Fracturarum oſſium curatio. 384

G

Glandulæ curatio per chirurg. quomodo fiat. 23
Glandulæ inuolucrũ remoueatur. 24
Gangræna quid. 346
Gang. cauſæ, & ſigna. 346
Glandulæ curatio. 354

Humo-

H

HUmores oculorum quot ſint. 6
Hiſtoria de muliere calculis in genu laborante. 122
Hernia carnoſa. 301
Herniæ carnoſæ cauſæ, & ſigna. 302
Herniæ carnoſæ curatio per chirurgiam. 305
Hernia inguinis. 307
Herniæ inguinis cauſæ. 308
Herniæ inguinis cura per localia. 310
Herniæ p̄tinax ꝓlapſus qūo reponēdus. 318
Hydrops quid. 324
Hydropis ſigna. 325
Hydropis prognoſticum. 326
Hydropis cura per chirurgiam. 326
Hydropis reliquiæ quomodo depellantur̃. 328
Hydropis cura per cauteria. 330
Herpes quid ſit. 349
Herpetis cura. 350

I

Iris quid ſit in oculo. 6
Imaginatio eſt prauia diſpoſitio ad cataractam. 24
Imaginat. cauſa. 24
Illaqueatio in nucca in affectibus oculorũ. 28
Inſtrumẽta ad cauterizandũ quæ, & quot. 92
Illaqueatio nuccę optimum remedium. 83
Indicatio curatiua unde ſumatur. 160
Iuuenis Anconitani polypo correpti hiſtoria. 205.
Inteſtina ſcroto prolapſa quomodo reponenda. 317
Internarum part. vul. prognoſticum 374
Ieiuni inteſt. vul. ſig. 376
Iecinoris vul. ſig. 376
Infirmitates plurimas curat balneum Cerreti. 391
Inſtrumenta pro extrahendo lapide quæ. 140

Locus

L

Locus operationibus congruus. 16
Lictus oculos mundificat, & quomodo. 33
Liquor mirabilis ad oculos. 33
Lapides quomodo generentur in veſica. 123
Lapidis veſicæ cauſa ex Hippocr. 125
Lapidis veſicæ ſigna. 129
Lapidis veſicæ, & renum differentiæ. 132
Lac calculos generat. 133
Lapis, ſi collo veſicæ infigatur, quomodo remouendum. 157
Lapidis curatio per chirurgiam. 182
Lapidis extractio cui ætati tutior. 182
Lapidis forma ſpectanda. 189
Lapidis ſpinoſi ſigna. 189
Lapis ſi in collo veſicæ impingatur, quid agendum. 191
Lapidis inciſio quomodo curetur. 191

Labia

Labia leporina quomodo curentur. 254
Lienis vul. ſig. 377
Luxatio oſſium quid, & eius cura. 385

M

MVſculi oculorum quinq. ſunt. 3
Muſculi oculorum 7. ſecundum Gal. & Veſſal. 4
Membranarum oculi corollarium. 9
Medicus ocul. quid prælibare debet ante curationem. 15
Mechiocan purgat pituitam. 29
Medici ocularij qualitates, 56
Medicam. quę preparanda ante depoſit. cataractę. 58
Medicam. applicanda poſt depoſitionem. 59
Medicam. ex lepore ad lapidem extuberand. 147.
Medicam. diuerſa ad calculum educend. 152

Medicam. intra veſicam inijcienda quæ. 154.
Mulier abundat plurimo ſang. 191
Medicus prudens, & æger intrepidus in chirurg. 271
Melicæridis cura. 356
Medullæ ſpinalis vul. ſig. 374

N

Nerui optici cognoſcendi ſunt. 2
Neruorum opticorum natura. 2
Neruorum opticorum primum, & ſecundum par ad oculos veniunt. 3
Nictilopa, & eſt qui non vidit occaſum ſolis. 111
Nictilopæ cura. 112

O

OCuli vnde dicantur. 1
Ocularius medicus quid cognoſcere debeat. 1
Oculi glandulæ quot. 4
Oculorum tunicæ quot ſint. 5
Orificium magnum in oculo periculoſum. 10
Oculi compoſitionis coroliarium. 13
Oculorum complexio. 13
Oculorum propria paſſio quæ. 14
Oculorum colores, & magnitudo quid, & ſigna. 14
Oculorum cura ſemper præſupponit vniuerſalia. 15
Oculorum cura complicata difficilis. 16
Oculorum med. depurata eſſe debent. 16
Oculorum operatio particul. & non communis. 17
Oculorum morbi diæta curantur. 29

Oculorum aqua quomodo digeratur. 30
Opinio Auctoris circa purg. in cataractis. 50.
Operatio manualis qua cautela agatur. 61
Operatio conſiſtit, vt cataracta inferne maneat. 63
Oculus infirmus gaudet tenebris. 65
Oculorum cicatrices lictu curantur. 79
Oculorum lippitudo quomodo curetur. 80
Oculi ſtaphiloma quattuor ſortitur nomina. 104.
Oculi ſtaphiloma quibus localibus curetur. 104.
Oculi procidentia, ſeu aciniformis. 103
Oculi procidentia quattuor modis tollitur. 109.
Operator circa lapidis extractionem qualis. 141.
Ozenæ narium curatio. 332
Oedematis cura. 350

Pin-

P

Pinguedo quare collocata inter muſculos oculorum. 4
Palpebra relaxata quibus curanda. 17
Palpebræ curatio diuerſa. 18
Palpebræ cauterizatio quo inſtrumẽto fiat. 21
Palpebrarum durities, & nata quomodo curetur. 22
Palpebræ grando vnde dicitur. 22
Plethoria tollitur ſectione venę. 82
Puerili ętati magis generatur in veſica lapis. 131.
Prognoſticum de veſica lapide. 131
Prędictio ante operationem chirurgam. 138
Prognoſticum extrahendi lapidem in qualibet ętate. 142
Potus aquæ poſt lapidis ſectionem pernicioſus. 201
Polypi curatio. 204

Polypi

Polypi narium conſilium. 207
Polypus quid. 209
Polypo an nares per ſe afficiantur. 209
Polypus curatur ſucco malorũ punicorũ. 228
Polypi cura per chirurgiam. 232
Phlegmon quid. 340
Phleg. cauſæ, & ſigna. 341
Phlegmonis cura. 342
Pulmonis vul. ſig. 373
Palpebræ relaxatæ cura ex Albucaſi. 18

Q

QValitates operatoris. 16
Qualitates circa topica. 16

R

REcti inteſtini muſculi tres. 262
Recti inteſt. muſculi aliqui retinent, vnus faces expellit. 264

Recti inteſtini muſcul. ſphin. si vulneretur fæces exeunt inuoluntariæ. 265
Rectum inteſtinum extrema ſuffert remedia. 169.
Renum vul. ſig. 377

S

SVffuſiones in quo humore fiant. 10
Suffuſio iam incipiens digeritur. 21
Suffuſio inueterata manu curanda. 25
Suffuſionis ſigna. 25
Suffuſiones ex qua parte procedant. 26
Suffuſionum cura vnde exordienda. 27
Sief. raſis ſubſidium optimum ad oculos. 32
Signa minantia cataractam futuram. 43
Syncopis in depoſitione cataractarum quomodo euitetur. 50
Situatio pro deponenda cataracta. 61
Sectio quibus cautelis fieri debet. 136
Sectio lapidis religioſe fiat. 138

Sectio lapidis in adultis periculoſa. 141
Syringa ad euacuandum vrinam. 164
Syringæ diuerſarum formarum. 165
Syringa quomodo intromittatur. 167
Sectio ad calculum eximendum quo fiat. 176
Sectoria in pueris ferro ignito cur ſuſpecta. 197
Sanguis quomodo ſiſtatur. 198
Sanguinem ex vlceribus fluere facere confert. 198
Sang. ſiſtentia quæ. 198
Scroti tumor flatuoſus. 287
Saxafraſſe decoctum in hydrope. 328
Sphacelli cura. 346
Scrofularum curatio, cauſæ, & ſigna. 351
Steatomatis cura. 356
Scirrhus quid cauſa, ſig. & cura. 356
Sanguinis ſiſtendi meth. 365
Septi tranſuerſi vul. ſig. 374
Sanguinis intra toracem retent. ſig. 376
Stomachi percuſſi ſig. 378
Secretum ad hydropem. 328

T

TVmor ſcroti flatuoſus. 287
Tumoris flatuoſi ſcroti cauſæ. 287
Tumoris ſcroti flatuoſi ſig. 287
Tumor aquoſus in ſcroto. 291
Tumor ſcroti aquoſus videtur inteſtinalis aliquando. 292
Tumoris aquoſi cauſæ, ſig. & cura. 292
Tumor præter nat. quid ſit. 335
Tumorum differentiæ. 336
Tumorum cauſæ, ſigna, & iudicia. 337
Tumorum tempora; & terminatio. 337
Tumorum curatio. 340
Toracis vul. cauſę. 372
Toracis vul. penetrant. ſig. 372

V

VNgula quid ſit. 68
Vngulæ ſpecies. 68
Vngulæ cauſa, ſigna, & iudiciũ. 69
Vngula confirmata ſola chirurgia curatur. 70
Vngulæ cura per localia. 72
Vngulæ quibus modis manu remoueantur. 74
Vnguentum pretioſum ad oculorum affectus. 78.
Veſicæ anatomia. 116
Veſicæ lapis. 121
Veſicæ lapidis curatio per medicinalia. 145
Vrina ſupreſſa quomodo ciatur. 159
Vrinã prouocat cimex poſitus in cannale. 163
Vrina per ſignum tuto euacuatur. 164
Veſicæ læſæ ſigna excelſo. 188
Vena varicoſa quid ſit. 279
Varicum cauſæ, ſigna, & prognoſtitum. 280
Varicum cura per localia, & per chirurg. 283

Varia-

Varicum cura in ſcroto. 285
Vmbilici proeminentis cura. 319
Vmbilic. proem. ex zirb, ex inteſtinis. 320
Vmbilici proeminentis curatio per topica. 321
Vmbilici chirurgia. 322
Vulnus quid, cauſæ, ſig. & cura. 360
Vulnus cauum quid. 360
Vulneris caui curandi ordo. 360
Vulneris ex morſu curatio. 364
Vulneris venarum curatio. 365
Vulnus neruorum quid. 367
Vulneris neruorum cura. 368
Vulnus oſſium quid, & eius cura. 369
Vulnus capitis quomodo curetur. 369
Ventriculi vul. ſig. 376
Vuluæ percuſſæ ſig. 377
Veſicæ vul. ſig. 378
Vulnera dorſi periculoſa magis. 378
Vulnerum ſcloppectorum cura. 379
Vlcus quid, cauſæ, ſig. & cura. 381

FINIS.

DVRANTIS SCACCHI, DE AFFECTIBVS OCVLORVM, LIBER PRIMVS.

De Anatomia oculorum cap. I.

Illumina oculos meos, mentemq; lux Altiſsima: vt lumine tuæ claritatis aliqua de corporis lumine ad tui nominis gloriam, humaniq. generis vtilitatem explanare valeam.

LOCVTVRVS de oculis, qui lucernæ corporis ſunt, ab occultando dicti, occultantur enim inter palpebras, oportet, vt dicebat Galenus. lib. De oculis. Particula prima. cap. primo. Medicum oculorũ curam habere volentem,

prius eorum naturam optime cognoſcere: vnumquodq; enim mẽbrum infirmũ ideo curatur, vt ad naturam ſuæ propriæ ſanitatis cõuertatur. Qui igitur oculorum naturam ſcire deſiderat, primo omnes partes, quibus conſtructi ſint; intelligat: noſcatq; oportet, operationem cuiuſcunq; partis, & quæ fuerit illius neceſſitas, & quo modo quæcunq; pars illa componatur. Vndè nerui optici, vt vocant, primo notandi ſunt, per quos videndi facultas a cerebro proficiſcitur a viſiuis ſpiritibus; quos neruos craſſos eſſe, molles, poroſos, raraq; textura; necnon a membranis tum dura, tum tenui inuolutos, qui ab interiori cerebro ad baſim exoriũtur, & ſphenoeides os, per ſua ipſorum foramina orbicularia penetrã-

tes,

tes, in internam oculorum cauitatem deſinunt, ibiq. membranam, amphibliſtroida nuncupatam, cõſtituunt: de quibus Gal. libro De oculis. Particula ſecũda, cap. primo, dicebat, A cerebro procedũt ſeptẽ paria neruorum, quorum primum, & ſecundum par ad oculos veniũt: vnum eſt cauum, per quem ſenſus viſus fit, ideſt per quem animatus ſpiritus, viſum dans, ad oculos tendit: ſecundum par oculi lacertos, & palpebras mouet.

Oculorum muſculi quot ſint.

Muſculi oculorum quinq; ſunt pro quolibet oculo: alter enim mouet ſurſum, alter deorſum, alter dextrorſum, alter ſiniſtrorſum, & alter in orbem: hic enim, qui in orbem mouet, à recentioribus eſt inuentus eius motus: & operatio eſt, vt cœlum, & beatas cœlorum intuea-

 mur,

mur, vt inquit Poeta ille.

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram.
Os homini ſublime dedit, cęlũq. videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Realiter ergo quinq; ſunt, licet Galenus, & Vexallius poſuerint ſeptem in quolibet oculo: duo eorũ, qui poſiti ſunt in eodem loco, aperiendæ palpebræ conducunt: nequaquam inter oculi muſculos adnumerandi ſunt. Inter oculi muſculos neruum opticum, & oculũ notabilis pinguedinis portio collocatur. & hoc factum dicunt, ne oculus continuo motu exiccetur: quia ægre moueretur: binæ adſunt glandulæ, altera ſurſum, altera infra: has etiam ad ocu-

Oculi glãdulę quot ſint.

los

los irrorãdos conſtitutas, per quas lacrymæ effunduntur.

Tunicas, ſeu membranas oculi ſeptem connumerat Galenus pluribus in locis, præſertim lib. De oculis. Particula prima. cap. 2. ſcilicet, retina, ſecundina, ſchliros, rhagoida, ideſt vuea, ceratoidis, ideſt cornea, coniunctiua, & tela aranea. *Oculorum tunicę quot ſint.*

Recẽtiores autem alteri quinq; & alteri ſex fatentur: inter quos Realdus Colũbus, pręceptor meus, & Ioannes Valuerdes, huiuſce anatomicæ hiſtoriæ ſubtiliſsimi indagatores, Romæ hanc partem publice profitentes, oſtenderunt ſpectatoribus, ſex tantum eſſe oculi tunicas, & quilibet ſpectãtium cõfeſſus eſt, & non negauit. *Recentiorũ Anatomicorum opinio.*

Prima pluribus inſignita nomi- Adnata.

nibus: nam adnata, alba, adhęrens, & coniunctiua appellatur, quæ coniungit oculum capiti. Hæc tenuis eſt, & alba, ortum ducens à pericranio, & in maiorem iridis circulum finiens. Iris autem eſt circulus ille in oculo, varijs refertus coloribus, ab Iride, ideſt Arcu cęleſti dictus ſimilitudinarie.

Secunda oculi tunica nomine caret: neq; mirum, cum hactenus incognita fuerit. Hęc à nerueis muſculorum oculi tenuitatibus gignitur, & ſub adnata terminatur, propè iridem.

Tertia ceratoidis, ideſt cornea dicitur, quod cornibus admodum extenuatis ſit perſimilis, vt cornua, ex quibus laternæ fiũt: a craſſa cerebri membrana producitur, eademq. tenuior ſimul, ac craſſior:

poſt

poſt autem paulatim procedens, parte eius maxime media e regione pupillæ longe tenuiſſima, ac denſiſſima, efficitur ſplendida, alba, dura, opportuniſſimum cryſtallini humoris propugnaculum, & vt ſplendores prompte trãſmittat.

Quarta vuea dicitur, & corion, & foraminalis: quia eſt perforata, ſicut corona; & ſicut granum vuę, quando remouetur a ſuo racemo, ſeu ſuſpenſorio. Suum foramẽ vocatur pupilla, ſuus color varius eſt; ex qua colorum varietate defeſſi oculi recreantur. Ideo oculos claudimus, vt ſpiritus viſiui, ad hoſce multiplices colores conuerſi, recreentur.

Quincta retina, quę propria humoris cryſtallini eſt tunica, non

modo cępæ tenui cortici eſt ſimilis, verum tenuior, & albior: non totum veſtit humorem cryſtallinū, ſed quæ eius pars vitreo humore inuehitur, prorſus ſine nutrimento eſt, ac tunicæ expers: ea enim parte humores inter ſeſe coniungi pręſtiterat. Quę vero eius pars omnis extra prominet, tangitq; vueam, tenuem hanc, ac lucidam induta eſt tunicam, arachnoiden, atq; etiam ipſius pupillę idolum in ea velut ſpeculi quodam conſiſtit; imo videtur arachnoides ambire, & includere totum humorem cryſtallinum.

Gal. x. de vſu part.

Sexta aranea appellatur: nam telam aranei videtur pręſeferre. Oritur & ipſa a tenui membrana: tenuiſsima, ſplendiſq; eſt. Vſus eius eſt, vt humores vitreum, & cry-

cryſtallinum complecteretur.

Colligimus ad faciliorem intelligentiam, quæ de membranis diximus, ab intro incipiendo, primo occurrit aranea, ſeu arachnoides; ſecunda eſt retina, ſeu amphibleſtroides; tertia eſt vuea, ſeu rhagoides, vel rhaga, aut choroides; quarta eſt dura, quæ ſclirotica appellatur; quincta eſt illa, quæ fit ex finibus muſculorum, & nomine caret; ſexta eſt alba, ſeu coniunctiua.

Humores verò in oculo tres ſunt, ſcilicet aqueus, cryſtallinus, & vitreus. *Quot oculi humores ſint.*

Primus eſt aqueus, ab aquæ ſimilitudine vocatus; ſubſtantia, & colore albo oui ſimilis: hinc albugineus vulgò appellatur, natura anteriore in parte collocauit inter mem-

membranam vueam, vbi duplex, & inuerſa redditur, corneamq. qui humor paucus admodum eſt, & in eo

Suffuſiones in quo humore fiant.

ſuffuſiones fiunt; quas Cataractas recentiores appellant; ibiq. collocatus eſt, non modo, vt ſpatium oppleat; verum etiam ne humor ipſe cryſtallinus, ac portio rhagoidis externa exiccetur. Hoc notandum de humore hoc, pluries contigiſſe, vt in depoſitione cataractę, & oculi perforatione craſſiori acu orificium in tunicis adeo amplum fuiſſe factum, vt in illius extractione totus hic aqueus humor exciderit: & aliquando in remotione albuminis, in prima viſitatione applicati, cum oculi minoratione, ac deturpatione. Quare a maiori orificio ſemper cauendum.

Notãdum.

Secundus cryſtalloidis dictus, .i.

gla-

glacialis, quòd cryſtallo, & glaciei coloris ſimilis ſit, albus, clarus ſplendens, vt lumen mediocriter durus, non exacte ſphęricus, ante vitreum in medio collocatur, vt gemma in auro, & in medio vtriuſq; humoris locum obtinet, ipsũ vitreum motu vlteriore inhibens. Eſt autem primum, & principaliſſimum viſus inſtrumentum. Propterea idolum, ſimulacrumq. viſionis non iniuria, appellatur.

Tertius hyaloida hoc eſt vitreus, quòd vitro fuſo ſubſtantia, & colore ſimilis ſit; poſteriore in parte collocatur, neq; ibi ſolum, ſed anteriores quoq; portionem nõ exiguam occupat. Itaq; ex quatuor oculi partibus tres occupat vitreus. Hic humor concauus in medio factus eſt, vt cryſtallino cederet; ipſe

quo-

quoque ſplendidiſsimus eſt, ab aranea membrana vna cum cryſtallino inuolutus, penes quem retina iacet, a qua vitreus humor alitur: at vitreus viciſſim alit cryſtallinum. itaq; nihil mirum eſt, ſi vitreus humor pelluceat, cum alimentum immediatum futurum ſit cryſtallini perlucentis, & in nutritione gignitur humor ille, qui aqueus appellatur.

Iris in oculo ſeptem conſtat circulis.

Sciendum eſt etiam, in oculo, vbi album nigro gignitur, ſeptem cohærere circulos, ſibi ipſis inſidentes, craſſitie tamen, ac colore diſcrepantes; qui locus ab omnibus harum rerum peritis Iris appellatur, vt ſuperius diximus: nonnulli vero coronam nominant.

Gal. x. De vſu partiũ.

Oculus quibus partibus cõſtet.

Concurrunt ergo ad oculi conſtitutionem muſculi quinq;, mem-

branæ

branæ ſex, humores tres, glandulę binę, neruum opticum, ſecundum neruorum coniugium, pinguedo, venæ adſunt, & arteriæ per muſculos, pinguedinēq; diſperſę, necnon per membranas, in quibus multæ ipſarum diſtribuuntur: item per corneam, atq; vueam.

His habitis, ſciendum eſt, oculos ſitos eſſe in ſuis orbibus, ſcilicet in duobus foraminibus magnis in fronte: non multum extra eminent, ne ab extrinſecis lædantur, quorum gratia ſupercilia, extra eminentia, habent inferius poma faciei. cætera, vt numerus, colligantia, figura, & quantitas patent. Complexio oculorum varia deſcribitur; nam propter humores ponitur frigida, & humida; propter panniculos frigida, & ſicca;

Oculorum complexio qua.

ca, & propter multitudinem ſpirituum calida cenſetur: quæ ex illis recipiuntur iuuamenta, oculatis, & luce præditis non ſunt ignota: omnibus paſſionibus ſunt expoſiti: ſed propria paſſio eſt ablatio viſus, diminutio, & corruptio, de quibus dicemus in ſequentibus.

Propria oculorũ paſſio quæ.

Nec omittere volui, quæ ſapientes dixerunt de coloribus, & magnitudine oculorum, nempe, quòd oculi nigri, glauci, cęrulei, cęſiq;, nonnullis fului, rufi, caprini optimos mores indicãt, & clarius cernere exiſtimantur. Et modicus quoq; ſitus optimorum morum indicium eſt, ſicut quibus mediocriter conniuent. Qui verò rigidi, ſunt impudentiam notant: qui nimium conniuent, incoſtantiam ſignificant.

Prędictio ex coloribus, et magnitudine oculorum.

His

His prefatis, nonnulla ſunt pręlibanda Medico, eorum curam ſuſcipere volenti: dicebat enim Gal. 13. Meth. Oculus diuerſę eſt compoſitionis, particulaq. admodum ſenſibilis, & medicamenta, quę ei competunt, magni ſunt artificij; vt idem Gal. 4. De compoſitione medicamentorum ſecundũ locos. & aliquando in eo multæ diſpoſitiones in vnum implicantur, quæ curam faciunt difficilem, vt eſt, quando ſoda coniungitur cũ ægritudinibus oculorum, & dolor, aut fluxus ante oculorum curam illa, ſunt ſedanda.

Quę a Medico prælibãda ante oculorũ curationẽ.

Auicenna

Nulla operatio particularis pręmittenda in oculis, quouſq. caput, & corpus non fuerint expurgata, & rectificata: quod intelligatur in corpore ægro.

Gal. 13. Meth.

Omnis

Albucaſis. Omnis operatio particularis delicatius, & indoloroſius exerceatur.

De loco operationũ congruo. Operationes fiant in loco claro, non ventoſo; & patiens circa caput firme maneat; & poſt operationem in loco obſcuro, & oculo cooperto, cum ſindone nigro, vel viridi reponatur.

Qualitates obſeruãdæ circa topica. In applicando topica melius eſt multiplicare vices, quàm quantitatem.

Medicamenta oculorum ſint bene depurata, præparata, & ad vltimum trita, & cribellata: aliter plus grauarent, quàm proficerent.

Ante medicaminum applicationem, & operationem oculus abluendus, & abſtergendus erit.

Qualitates operatoris. Qui ad operationem accedit, ſit ſubtilis, ingenioſus, & bene videns:

dens: manus habeat firmas, & alios operari vederit, & inſtrumenta idonea parata habeat.

Oculorum operatio particularis cenſetur, & non communis.

De relaxatione palpebrarum. cap. 2.

ELongantur interdum ſuperiores palpebræ adeo, vt eleuari non poſsint ex abundantia aliquãdo humiditatis, & interdum ab externa lęſione: cum ergo adhuc fluxio perſeueret, venit tollenda debito victus regimine, & euacuatione. & palpebra mollificata cum exſiccantibus, & conſtringẽtibus, dum morbus eſt recens, curanda: vt erit decoctum acaciæ, myrtillorum, ſumac, memitę, myrrhę, aloes, & huiuſmodi. At, ſi affectus

Albucaſis curatio. erit inueteratus, ex ſententia Albucaſis lib. 2. cap. 11. eleuetur tranſuerſaliter pellis palpebræ, vt oculus aperiatur; & conſtringatur taliter duobus acubus longitudinis trium digitorum, ab vtraque parte perforatis, & filo munitis, vt valide hinc inde arcte conſtringi poſsint taliter, vt caro, ſic conſtricta, de facili putreſcat, & forbicibus remoueatur putredo, & curetur rodomelle, ac cærato de Diapalma.

Alia curatio. Alius modus erit, vt eleuetur palpebra, vt ſupra dictum eſt, manibus, vel vnco, & acu, filumducente: perforetur in medio, & a latebris tribus punctis; in quolibet dimittendo palmum fili duplicati, & caput extremum conſtringatur cum capite medij fili ſuperne, & in-


ſerne,

ferne, vt firmiter permaneat, & caro, quæ ſupereminet, amputetur, permanentibus punctis: aut reſecetur palpebra perforata vſq; ad punctos incluſiue, & iterum ſuatur ſtatim, & bolo fino cum oui albo conquaſſato muniatur. Quod replicetur pluries, donec coeant: deniq; cærato de Diapalma, vel barbaro cicatrizetur vlcus.

Tertius modus erit cùm cauterio lunato, ſeu recuruato palpebra iuxta ſupercilium aduratur, donec ignis palpebram retrahat, adeo quòd oculus pateat. Poterit etiam potentiali cauterio remoueri palpebra ad quantitatem folij myrti, vel oliuæ, adaptando petiã munitam cęrato de gummaclami, atq; ad folij myrti perforatam, & ſuperius cauterium imponatur, & *Tertia operatio.*

manibus contineatur, adeo donec bene æger caliditatem, & mordicationem cauſtici perſentiat, tunc remoueatur, & caſum eſchare procuretur, & vnguento aureo, vel raſino incarnetur: ſunt quidam, qui de extremitate palpebræ portiunculam remouent, illam inſtrumento conſtringendo, cauterizãt, & ſic curant. Prudens operator eligat quemlibet horum modorum, pro vt affectus expoſcere videbitur, & illi facilius adaptari poterit.

Inſtru-



Inſtrumentum lunare ad cauterizandum.

De Grandine nata, ſeu duritie palpebrarum. Cap. 3.

DVrities palpebrarum, & parua nata, dum affectus eſt recens, curatur exiccantibus, & emollientibus, nempe aqua ardenti, in qua rad. altheæ cõtuſa, & cribrata fuerit infuſa, & tumori pluries applicata, vel validioribus exiccantibus ſcilicet aqua ardenti, in qua ſauinæ pul. fuerit macerata, vel aceto acerrimo ſtillatitio: nam cum materia eſt viſcida, applicetur acetum ſtillatum cum frigida, & humida, validiora exiccantia ſuperponantur.

Cura ꝑ chirurgiam. Cum autem affectus erit maior, & inueteratus, deueniatur ad chirurgiam. Grando dicitur ſimilitudi-

tudinarie, & eſt aggregatio humiditatis groſſæ in palpebra ſuperiori, vel inferiori. Nata, & durities ſolent in corpore ſuperioris palpebræ ſuperexcreſcere. Quare experiendum primo, an defacili moueatur; ſecundo, an declinet ad interiorem, vel exteriorem partem. Habita hac diligentia, fiat operatio in parte, ad quam declinat, elongando ſe a loco pilorum; quia difficulter, & male conſolidatur locus ille. Tunc apprehēdatur nata, nodus, durities cum roſtro gruino, vel tenaculis, vt excoriari poſſit, & integre extrahatur; ſi poſſibile erit, faciendo inciſionem ſecundum rugas, & latitudinem oculi a maiori ad minorem angulum, & ſi inciſio fuerit magna, ſuatur locus, ne palpebra decidat: de-

mum, ſi inuolucrum natæ remanſerit, remoueatur vnguento Apoſtolorum, egyptiaco, charta combuſta, ſquama æris, pul. aphodelorum, & his ſimilibus. Deinde vnguento baſilicon, citrino, cærato de Diapalma incarnetur locus, & cicatrizetur.

De imaginatione, aqua, ac principio ſuffuſionis, & quibus remedijs curari poteſt. cap. 4.

IMaginatio, aqua, ac ſuffuſio, non adhuc confirmata, eſt preuia diſpoſitio ad cataractam, & ad viſus impedimentum, vt non poſſit oculus diſcretas rerum ſpecies, & colores recte apprehendere.

Cauſa. Cauſa ex vaporibus frigidis, & craſſis, ſeu lentis ſuccis oritur, de qua

Gal.

Gal. 14. meth. talia protulit verba, Suffuſio, iam incipiens, digeritur: vbi vero diu conſtitit, nullo pacto poteſt. Celſus lib. 6. cap. 6. Suffuſio, ſi inueterauerit, manu curanda eſt; inter initia nōnunquàm etiam certis obſeruationibus diſcutitur. Paulus hoc idem confirmat, inquiens; Suffuſiones curari poſſe, ſed non omnes. Proinde, antequàm cōſiſtat, ſuffuſione tentatis ſuccurrendum erit: hæc enim paſſio vt plurimum ſenes infeſtat. Quare, incohante malo, dum culices, phantaſiæ, caliginoſa corpuſcula, filamenta, & huiuſmodi aſſidue præ oculis obuerſari videntur, quàmprimum ſuccurrendum eſt. Sed, quoniam hæc omnia nonnunquàm propriæ ſunt oculi paſſiones, nōnunquàm a ventricu- *Signa.*

tricu-

triculo demandantur; ſciẽdum eſt primo, vnde nam ægro diſcrimen impendat: ſi enim viſa ob humorum in ventriculo contentorum vitium oborta fuerint, vtriq; oculo ſimiliter accidunt; quæ verò per propriam paſſionem apparent, neq; incipiunt ſimul in vtroq;, neq; ſimiliter apparent. Ex tempore quoq; diſtinguuntur: ſi enim per menſes affectus perſeuerat, & in pupilla nihil tenebroſum apparet, a ventriculo affectus procedit, ſin ſecus, a capite.

ex qua parte ægro diſcrimen impendat.

Quamobrẽ primo victus inſtituendus exiccans, & attenuans, ideſt ad calidum, & ſiccum declinans, pituitam reſoluens: & patiens recte ſe agat in ſex rebus non naturalibus, in aere ſcilicet, cibo, & potu; inanitione, & repletione; sõno, &

vi-

vigilia: motu, & quiete, & animi affectibus; addo & venerem. In reliquis ſi nihil obſtiterit, cura a ſanguinis miſsione ordietur, ſecando communem, vel humeralem venam, aut hirudines poſt aures, vel temporibus applicentur; minoretur materia Diacath. rodomelle ſol. hiere pigra, & ſpeciebus hieræ Gal. præſertim, ſi affectus a ventriculo procedat: demum humores parandi huiuſmodi medicaminibus, nẽpe oximellite ſcillino, rodomelle, ſy. de ſtęchade, de betonica, addita aqua, vel decocto, aut ſucco depurato feniculi, betonicæ, maiuranæ, euphraſiæ, &c. parato humore euacuetur pilulis cocchijs, lucis, ſine quibus, eſſenolo, agarico trociſcato; pul. radic. Mechioacan, quæ ex Indijs adſportatur

tur ad nos: hæc puluis vino exhibetur ad dragmam cum dimidia, vel ad duas ad ſummum; in euacuando pituitam prærogatiuam habet, ſi adderetur ſyruppus roſ. magis ad caput medicamentũ dirigeretur; corpore euacuato, per repetitas vices, experiẽtia edoctus. Inter cætera regium remediũ probaui millies, feliciſſimo ſucceſſu, illaqueationem ex ſetone ſerico, vel filo crudo, nucęque adhibitam. competit ligni ſancti decoctũ ſaſſafraſſę, & quæ huiuſmodi generis ſunt remedia, debito modo parata, & ſubtili dięta exhibita. Nec eo inficias, cauterium, poſt aures applicitum, plurimum prodeſſe, euitando ſemper, quę craſſum ſanguinem gignunt, vt ſunt, quę his verſiculis continentur, videlicet.

Acria

Acria ne mandes, neq; quæ ſunt
plena vaporum:
Nec cæpas, lentes, allia, porra,
fabas.

Carnes groſſæ, piſces cetacei, panis azymus, vina craſſa, & ſimilia euitanda ſunt. Auezoar commendabat abſtinentiam, & ſobrietatem ſerotinam in cibo, & potu, ac feniculi vſum, de quo Democritus, vt teſtatur Auic. ſcriptum reliquit, quòd reptilia venenoſa, obcæcata in terra tempore hyemali, dum egrediuntur de cauernis in vere, comedunt, & fricant oculos cum feniculo, & ſic viſum recipiunt. Meſue extollit euphraſiã, & de ea mirabilia dicit. Arnaldus de Villa noua ex illa parat medicatum vinum.

Quomodo reptilia animalia cauernis obcęcata viſũ recipiãt.

Raſis laudat, exercere oculos in

legendo litteras groſſas, & proſpicere picturas, & ſpeculū de chalybe, viriditatem herbarum, gemmarum pretioſitatem; quoniam hæc omnia intuitum refocillant; hepar hircinum aſſatum, & comeſtum prodeſt.

Quæ oculi aquam digerant.

Frequens inſpiratio pueri, qui feniculum comederit, in oculis aquam digerit, & conſumit, vt patet experientia caput purgia, permaſticatoria, & herrina competũt ſatis. Nocent verò quæ his verſiculis continentur, videlicet.

Hæc oculis nocent, ſol, puluis, fumus, & æſtus,
Ventus cum fletu, vina, venuſq. nocent.

Reliquum eſt, vt ſermonem noſtrum aliquibus topicis remedijs, pluries expertis, concludamus, v3.

℞. fa-

℞. farinæ cum portiuncula fur- *Aqua pretioſa.*
furum lib. 4. ſeminis rutæ, fenicu-
li aña vnc. 1. med. cum aqua celi-
doniæ; formetur panis magnus, &
in furno coquatur, & ſtatim coctus
diuidatur, & ponatur inter duo
vaſa ſtannea, vel argentea ſic cali-
dus, nec quiquam ſpirare poſſit, &
illinc ad parum aqua intra vaſa cõ-
creſcet; quę ſeruetur in vitro bene
obturata ad vſum.

Poteſt & in eodem pane admi- *Aqua mirabilis.*
ſceri, & incorporari florum roriſ-
marini, florum ſaluię, euphraſię, ce-
lidoniæ, berbenæ aña pug. 1. zucc.
finiſſimi vnc. 2. & ſtatim coctus
immergatur in vino maluatico, &
quarta parte ſucci feniculi, & roſa-
rum, & ſic imbutus ponatur in elã-
bicco vitreo, & extrahatur aqua, ſer-
uetur in phyala vitrea ad vſum.

Aliud.

Aliud.

Aqua aurea. ℞. Euphraſiæ, capillorum Veneris, betonicæ, rutæ, feniculi, berbenæ, cęlidonie, camomillæ, endiuiæ, roſ. rub. aña m. 1. ponantur in vino albo per noctem; poſtea ſummo mane extrahantur, & extendantur ſuper tabulam, vt vinum per ſe effluat, & remoueatur: deſtillentur poſtmodum per retortam, & habebimus aquam primam, pretio argenti, ſecundam auri, tertiam balſami.

Ad diſcutiendam materiam vaporoſam, & abſtergendas oculorum tunicas miri iuuaminis eſt ſief de fellibus, quòd deſcribitur a Raſi ad Almanſorem cap. 27. dum agit de aqua deſcendente in oculo, ſic inquiens. ℞. Fellis gruis, fellis ſabot, fellis hirci, fellis accipitris,

fellis

fellis aquilæ, fellis perdicis, omnium ſiccorum in vnum, aut plura: ſumatur quoq. pro omnibus drach. 10. horum ſuccorum euforbij, colloquintidæ, ſerapini omnium aña drach. 1. trita aggregentur ex ſucco feniculi teneri, & mittantur in oculo.

Auicennas præcipit, vt lingantur ab adoloſcentulo, qui comederit feniculum, & replicetur per multos dies. Ordinauit etiam hanc miſcellam, quæ mihi arridet, & vſu comprobatur, videlicet. *Lictus oculum mũdificat.*

℞. fellis tauri iuuenis, ſaniq. corporis, & ponatur in vaſo æreo, & dimittatur per duas ſeptimanas, myrrhę, croci, pul. fellis teſtudinis ſilueſtris, olei de balſamo, aña drach. 2. miſce, & fiat collyrium, quod in oculo affecto ſtilletur. *Liquor mirabilis.*

Vel ℞. epatis hircini ſani, & recentis lib. 2. calami aromatici, mellis aña vnc. med. ſucci rutæ drach. 3. aquæ celidoniæ vnc. 6. aquæ feniculi, berbenæ, euphraſiæ aña vnc. 3. piperis longi, nucis muſcatæ, gariofilorum aña drach. 2. croci ſcrup. 1. florum roriſmarini, aliquantulum contuſi, m. med. ſercocollæ, aloes epatici aña drach. 3. fellis auium, de rapina viuentium, ſi inueniri poſſint, vnc. 1. vel loco eorum capiatur de gallis, & gallinis, caponibus, & perdicibus in triplum, ſcilicet de felle gallinarum, omnibus tritis, & inciſis: addantur zucc. albiſſimi vnc. 3. mellis roſ. drach. 6. miſceantur omnia, & cum elambicco vitreo ſecundum artem ſtillentur, & vſui in vitro be-

ne obturato reſeruentur: nam mirabilis eſt liquor: confortat quamlibet viſus debilitatem: oculorum caliginem mundat, ac futuram cataractam prohibet.

De Cataracta confirmata, quæ manuum operam expoſtulat. Cap. 5.

CAtaracta confirmata eſt affectus, qui a latinis, Suffuſio, & a vulgo, & operatoribus Cataracta appellatur: & eſt quædam pannicularis macula intra oculum coram pupilla, quæ viſum prohibet, vt colores non agnoſcat. Et fit ex vaporoſa humiditate in oculum demandata, & diuturnitate temporis oculi frigiditate condenſata, in aliquibus citius, *Cataractæ cauſa.*

& in alijs tardius, vel ſic.

Cataractæ locus, & ſedis. Cataracta eſt aquei humoris cõcretio inter cryſtallinum, & corneã, viſum impediens: ideo dicebat Auic. lib. 3. fen. 3. cap. 18. deſcenſus aquæ eſt ægritudo opilatiua, & eſt humiditas extranea, ſtans in foramine vueę, inter humorem albugineum, & ſifach corneæ. Quare prohibet penetrare formas ad viſum. Hoc idem Paulus, & Aetius. Quæ quidem humiditas, quia aliquando gignitur ex humoribns ipſius oculi, maxime albugineo, dicitur fieri ex cauſa primitiua, interdum a ſtomacho aſcendit, & a cerebro deſcendit, & in oculo conuertitur in aquam, & tractu temporis efficitur cataracta; dicitur fieri per conſenſum. Notandum eſt, quòd cataracta, ſuffu-

ſio,

ſio, aqua, gutta ſerena, & imaginatio, eadem eſt ægritudo apud Arabes. differunt autem ſecundum tria ſua tempora, ſcilicet principium, medium, & finem.

Nomẽ ſuffuſionis variat ſecũdũ ſua tẽpora.

In principio, quando id videre imaginamur, quod verè non eſt, vt pilos, muſcas, & reliqua, imaginatio dicitur. In medio, quando apparet pupilla nebuloſa, & per compreſſionem digiti de facili diſpergitur, & redit, tunc dicitur ſuffuſio, aqua, & gutta.

Quantum ad ſuum finem dicitur cataracta, quando humor eſt confirmatus, & viſio colorum penitus inhibetur, vt colores non diſcernat. At dumtaxàt ſi opponatur lumini ſolis, & in tenebris lumini candelæ, ſplendorem quendam, & coruſcationem videat.

Cataracta vnde dicat. Cataracta dicitur a cataracta cœli, & molendini. Differunt cataractæ ratione quantitatis, ſubſtantiæ, & qualitatis.

Cataractarum differentiæ. In quantitate, quando eſt adeo magna in latitudine, quòd tegit totam pupillam, & totum viſum prohibet: aliquando non occupat, niſi partem, & tunc res diuerſarum formarum videntur, nempe triangulatæ, quadrangulatæ, lunares, oblongæ, feneſtratæ, & id genus.

In ſubſtantia differunt: quia quandoq; eſt ſubtilis, & mobilis: & tunc res videntur obumbratæ, vt ſi pannus ſubtilis eſſet ante oculum: aliquando enim res filis, & pilis ſimiles, cimicibus, muſcis, culicibus, circulis circa lucernam accenſam, radijs aſcendentibus, & deſcendentibus, ſecundum quod

mate-

materia mouetur. interdum adeo eſt groſſa, & craſſa, quòd non apprehendantur formæ rerum.

In qualitate etiam differunt: nam alia eſt cineritia, quandoq; cęleſtina, alba, citrina, nigra, margaritalis, gypſea, viridis, ſubrubea, argentina, vitrealis, columbina, ſerena, plumbea, turchini lapidis ſimilis, ferri nitentis, ſeu aquæ marinæ.

Ex coloribus maxime deuenimus in cognitionem, quæ magis ſubijcibiles ſint chirurgiæ, & quę non. Illę igitur iudicantur curabiles manuali operatione, & aptiores depoſitioni cum acu; quæ coloris aerei ſunt, albæ, margaritales, turchini lapidi ſimiles, & quæ parum declinant ad glaucedinem, ac columbina, ſerena, cineritia, *Ex coloribus quę per chirurgiam curabiles dignoſcitur.*

argentina, & marinæ aquæ ſimilis.

De cauſis Cataractæ. Cap. 6.

ETſi annuerim ſuperioribus cap. quomodo fiat cataracta: non tamen perfecte explanaui illius cauſas. Quare ſciendum eſt, tres eſſe principales cataractæ cauſas, primitiuam ſcilicet, antecedentem, & coniunctam. Primitiua cauſa, extrinſece aduenicns, eſt percuſſio tum in oculo, tum in aliqua parte capitis a quacunq; re, vt pro exemplo caſus, dolor capitis, febris, nimia frigiditas, magna caliditas, extrinſeca oculorum debilitas, & reliqua: quæ cauſæ vt plurimum reddunt curam difficilem, & ferè dixerim incurabilem, ſi manu cura tentanda erit.

Cataracta cauſę tres.

Ante-

Antecedens cauſa eſt, cum primario affectu ſit ex nutrimento huius partis, non bene concocto, aut ſuperfluitate nutrimenti non reſoluta: vel ſit per conſenſum capitis humiditatem hanc ad oculum tranſmittentis, vel a vaporibus oris ventriculi, a malis humoribus, & craſſis cibis, ad oculos eleuatis: deinde a frigiditate oculorum, in humiditatem conuerſis: dicebat enim Gal. lib. 4. De locis affectis. cap. 2. Sunt & alij oculorum affectus, quibus per conſenſum adueniunt: vnde ſubdit, Igitur accidentia ſuffuſorum viſis ſimilia videntur, oculis nulla propria affectione moleſtatis: ſed aut oris ventriculi, aut cerebri concoctione id accidere ſolet, idem 3. De locis affectis. cap. primo.

Itaque

Itaque affecto ſtomacho oculi ſimiliter infeſtantur cauſis, quales in ſuffuſionibus apparere ſolent. Dicendum eſt, illos pati euaporationem ad cerebrum ab humoribus in ventriculo contentis fumoſo quopiam vapore. De his legendus idem Gal. cap. 7. eiuſdem libri: & quomodo conſenſus fiat intelliges. Idem Galenus de ſympth. cauſis. cap. 2. Facultas viſifica offenditur affecto neruo ad oculum deſcendente, vel cerebro, &c. nam ventriculus cerebro, & cerebrum ventriculo ſuas operationes facillime tranſmittit propter eorum colligantiam. Cum autem cauſa Cataractæ procedit a ſtomacho, in vtroq. oculo æqualiter affectus apparet. Si vero a cerebro affectus demandetur, apparitio in vno

Gal. de oculis. cap. 2.

dun-

duntaxàt oculo fuerit, ſed diuerſimode.

Cauſa coniuncta erit materia, in oculo exiſtens, viſum impediens.

De ſignis Cataractarum. Cap. 7.

Signa præcedentia, quæ ſemper minantur cataractam futuram, ſunt parui culices, nebuloſa, ac fumoſa caligo præ oculis, adeo vt ſæpe decipiantur patientes, qui conantur capere muſcas illas, & nihil capiunt: ad delendam caliginem, oculos fricant, & parum prodeſt. Vident etiam ſæpe circulos circa lucernas, ac duplicatum lumen, quæ imaginationes, & phantaſiæ variant. Aliquando enim paruæ, vel magnæ, craſſæ, tenues, raræ, denſæ, granoſæ, muſcoſæ, capil-

Signa, quæ minant cataractã futuram.

la-

lares, & c.

Ab operatoribus peritis, atq; ab optimis practicis vnico intuitu cognoſcuntur, quæ curabiles, & quæ incurabiles ſint, loquendo de ſuſceptibili cura, quæ acu perficitur. Nam duobus tantùm modis in cognitione procedunt, mediante ſcilicet colore, & motu. Colore, vt ſit margaritalis, ærea, columbina, cineritia, aut turchini lapidi ſimilis, aut plumbei coloris, aut ferri nitentis: hi enim ſunt colores, qui facilis depoſitionis ſpem præbent: alij deceptiui ſunt, & rariſſime ſuccedunt. Motus etiam eſt neceſſarius in bona cataracta: nam fricando oculum cum palpebra, illa cataracta, quæ facit ſyſtolem, & diaſtolem, ſcilicet quæ dilatatur, & conſtringitur per fricationem, indicat

cognitio fit per colorẽ & motũ.

dicat

dicat curam ſperandam. nam ſpiritus viſiui per fricationem pannum cataractalem vellicant, & mouere faciunt: quo remoto, emicabunt, & lucem ægrotanti præbebunt.

Signa confirmatæ cataractæ erunt, vt colores non agnoſcantur: nam cęcus non poteſt iudicare de coloribus, & fricando oculum cũ palpebra dilatari, ſed non in partes diuidi, atq; conſtringi: quod diaſtoles, & ſyſtoles dicitur. Hæc per acum curam recipiunt.

Signa cõfirmatę cataractæ.

Alexander Trall. cap. De aqua.

Signa verò non confirmatæ ſunt conturbatio pupillæ, minoratio viſus, apprehenſio idolorum, & phantaſiarum: ſi etiam alter oculus claudatur, alter cum palpebra fricetur, & parum comprimatur, ſtatim aperto, aqua in partes diuidi, ſeu ſeparari videtur: tunc eſt ſu-

Signa nõ cõpletę cataractæ.

btilis valde, neq; curam cum acu recipit: quia tranſiret acus per illam, tanquàm per nebulam, & nihil proficeret.

Gal. lib. de oculis. cap. 12.

Signum bonum, & ſpe plenum erit conſequendi lucem, ſi æger diſtinguat lucem a tenebris, ac diē a nocte: tunc prognoſticari poteſt, ex operatione oculum mundari, & lucem emicare ſtatim: quia ſpiritus oppreſſi a cataracta detinentur, & carcerati ſunt. Hæc dixi: quia aliquando obſtructio decipit operatores, qui hac cautela nō habita, licet pannum tranſponant, fruſtra operantur. Ideo illud obſeruandum, & denique, altero oculo clauſo, oculus affectus palpebra fricetur: ſi dilatatur, & conſtringitur, & non videt, bene prognoſticandum. Aduertendum, quoniam

Fruſtrarent operationi ſpiritus viſiui adeſsēt quare diſtinguere lucē a tenebris, indicat uisū offuſcari a pāno cataractali.

Quæ ab operatoribus obſeruāda.

licet

licet cataracta habeat omnia bona ſigna, ſi fuerit in homine, habente oculos malos, aut dolorem in capite, vel in oculis, tuſſim, ſternutationem, ſeu rheuma, vomitũ, vel aliquam infirmitatem moleſtam; non eſt acu ſubeunda cura, quia mala ſequerentur accidentia, & cataracta rediret.

De Prognoſtico cataractarum, ſuffuſionum, & aquæ. Cap. 8.

NOn eſt omnino certa pronuntiatio in operatione cataractarum: quia medicinæ in eis ferè nihil proficiunt, & operatio cum acu eſt ſatis deludoſa. Ideo dicebat Galenus quarto. De compoſitione medicamẽtorum ſecundum locos, *Cataractarũ prognoſticum ambiguũ.*

locos. quòd promiſſiones omniũ medicinarum ſunt magnæ: operatio verò ipſarum aliquando valde pauca, & interdum nulla; hæc verba ſcio retraxiſſe multos, qui hanc partem diligentiſſime pertractaſſent, & rationabiliter exercuiſſent: curſoribus tantùm, & practicis dereliquerunt. Ego verò peregrina hortaret ingenia, experientia, & ratione præſtantia, vt hanc pertractarent operationẽ ſubtiliſſimam, quæ tutiſſima eſt, & ſpei plena: nam quidquid aquiritur, inuentum eſt. iam patiens cæcus eſt, & abſque iactura, dolore, ſanguine, atq; alio incommodo lucrari ex opere viſum poterit. Audacter ergo & medicus, & ægrotus ad curam ſe præparent, nam in tuto eſt operatio. Hoc vnum aduertendum

operatio tuta, & vt plurimũ lucroſa.

dum ſemper, quòd operatio fiat in corpore bene diſpoſito; cataracta ſit boni coloris, vt dictum eſt, bene conditionata, & in optimo depoſitionis ſtatu; ac ſyſtolem, & diaſtolem habeat laudabilem, vt inde ſperare poſſimus, intentum aſſequuturos, fauente Deo.

De *præparatione corporis ante manualem operationem.* *Cap. 9.*

DIuerſæ fuerunt opiniones de corporis euacuatione ante manualem operationem in deponenda cataracta cum acu: nam quidam dixerunt, corpus eſſe ſemper ante operationem a ſuperuacuis humoribus expurgandum, ne poſt operationem ad oculum de- *De corpore euacuando diuerſę opiniones.*

trudantur, & opus impediant. Alij aſſeruerunt, humores nō mouendi: quia corpus exagitatur, & illi ponuntur in motu, & facilius fluunt ad partem affectam: quare ſinendi. Nos autem, experientia

Auctoris Opinio.

docti, laudamus, reiecto clyſtere, ſecetur vena, ſi opus fuerit, vel cephalica, vel communis, eiuſdem lateris, & inſtituatur diæta, vt aſſerit Celſus lib. 7. cap. 7. inquiens, ante curationem ægrotans modico cibo vti, & aquam bibere triduo debet: pridie ab omnibus abſtinere,

Notandum, vt euitetur ſyncopis.

& antequàm opus aggrediatur, exhibeatur parum zucc. roſ. vel buccella panis, vino granatorum infuſa, vt euitetur ſyncopis; quæ interdum opus impedire ſolet, dum acus eſt in oculo: vt mihi contigit in nobiliſſima muliere Eugubina, quæ

quæ dum ei cataractam deponere tentabam in arce ſenogallienſis ciuitatis, incidit in ſyncopim cum periculo fractionis tunicarum oculi, niſi cito acum retraxiſſem. Quare ab hoc cauendum.

De tempore congruo depoſitioni. Cap. 10.

TEmpore veris, & autumno operatio tentanda; nam calidioribus temporibus æſtuante cęlo, vbi corpora inflammata ſunt, & humores de facili mouentur; oculus non eſt perforandus: ſiquidem de facili inflāmaretur, & ophthalmia, ac dolor ſubſequeretur. Nec in magnis frigoribus: nam, rigente cęlo, membranæ oculi perforatæ læderentur: ſiquidem dicebat

Anni tēpus ad opus explēdū prę-ſtat plurimum.

Lib. 5. aph. 20.

Hippocrates, frigidum vlceribus mordax, &c. Temperatum ergo tempus eligendum, quòd ſit clarum, quietum, ſerenum, & ſeptentrionale, euitando nubes, tonitrua, ventos, caliditates, & frigiditates intenſas, quæ lædunt partes, & patientes. Operatio fiat hora diei tertia, vel quarta, luna decreſcente, neq; in ariete peragrante; nam dicebat Ptolemæus in centiloquio. Ne tangas membrum ferro, cum luna ſignum tenuerit; dies eligatur lucida in ſubtiliſſima arte pertractanda.

De Inſtrumento, ſeu Acu pro deponenda cataracta. Cap. 11.


INſtrumentum, cum quo cataracta deponi ſolet, Acus appel-

latur,

latur; quæ debet eſſe longitudinis ſeptem digitorum, ſcilicet manubrium quinque, & cuſpis duorum digitorum, vel longitudinis primi articuli pollicis, mediocriter ſubtilis, non exquiſite acutus, ſed vt facili negotio ingrediatur: manubrium autem ſit ad ſimilitudinē crebræ vitis, aptum ad reuoluendum, & perforandum, vt in orbem, illud reuoluendo, leniter, & leuiter ingrediatur, neq; oculum inquietet, & perturbet, vt ad faciliorē intelligentiam hic depinximus.

Cōditiones acus aptæ ꝑ deponēda cataracta: ſit cuſpis longitudinis extremi articuli pollicis.





Fuerunt nonnulli, qui, vt ſubtiliores viderentur, excogitauerunt acum perforatam, quæ poſtquàm fuerit ingreſſa ſuitu per eius foramen, cataracta traheretur. Alij dixerunt, quòd per idem foramen acus, citharæ cordula immitteret, vncato cuſpide, vt cum ad cataractam deuentum fuerit, illa ad intra acum traheretur, & foras educeretur. Ego autem, qui diligentiſſimè hæc omnia obſeruaui, ac tentaui in oculis animantiũ, inueni nugatoria eſſe; ſiquidem educitur humor albugineus, & tunicæ dilaniantur. Quare bene dicebat Hippoc. lib. De lege. Aliud eſt loqui, aliud operari. De qua materia acus ſit conficienda, poſſem rationabiliter reſpondere, quòd parum refert, an de argento, auro, vel ferro

Ex quo metallo acus eſſe debet.

ferro conficiatur; attamen ratione membri, in quo tractatur, & eius coloris, ſi oculus ſit niger, fiat operatio cum acu argentea ad hoc, vt melius intra oculum perforatum acus appareat: ſi autẽ oculus glaucus, vel qualis eſt catti, & noctuæ, fuerit; non perforetur aureo acu; quia, cum acus ſit eiuſdem coloris cum oculo, non adeo clare ad intra oculum intueri poteſt ratione ſimilitudinis colorum. Ideo etiam in ijs acu argentea perforandum; in cæteris autem oculorum coloribus poteſt cõmẽdari acus aurea, & deaurata. Quare decet, elegantem operatorem ſecum deferre acus argenteas, deauratas, & de puro auro tum ratione membri, in quo operatur; tum etiam ratione honoris ſui ipſius.

Ratio, quare acus aliquando argentea, aliquando aurea interdũ admittatur.

De *qualitate medici operatoris, ſeu chirurgici. Cap.* 12.

MEdicus ocularius, qui profitetur cataractarum depoſitionem, debet eſſe in iuuenili, vel virili ætate coſtitutus, expertus, ac expertos pluries operari viderit, manu ſtrenua, ſtabili, nunquàm intremeſcente, eaq. non minus ſiniſtra, quàm dextera promptus, acie oculorum acri, claraq. promptus, & agilis. ſiquidem ſubtiliſſima eſt operatio: ſit honoris magis, quàm lucri cupidus: ſit facundus, & affabilis. facundia enim operatorem gratioſiorem reddit, quando, qui ſunt affabiles, tempore debito cõfabulari ſciunt de his, quæ vnum quemquam patiente delectant,

Qualitates medici ocularij.

tant; blandis verbis ægrum ſemper conſolando, ſpeciemq. videndi augendo, facilius perſuadent, quę infirmis gratiora ſunt: ſit fidelis, & verax. nam hęc in patientis animo futuræ lucis adipiſcendæ bonam gignunt opinionẽ. debet inſuper, qui oculorum curam habere vult, prius eorum naturam optimè cognoſcere. vnumquodque enim membrum infirmũ ideo curatur, vt ad naturã ſuæ proprię ſanitatis conuertatur. Sed ſcientia naturæ membri, & vniuſcuiuſq. compoſiti non poteſt comprehendi, niſi partes totius noſcantur. Qui igitur oculorum naturam ſcire deſiderat, primum omnes partes, quibus conſtructi ſunt, intelligat, noſcatq; operationem cuiuſq; partis, & quæ fuerit illius neceſſitas, &

Gal. lib. De ocul. cap. 1.

Vnuſquiſq; tenetur ſcire ſubiectũ, in quo fũdatur, & operatur.

quo-

quomodo quęcunq; pars illius cõponatur. Quod totum, in quantum ad rem noſtram attinet, ab oculorum anatome deſumi poteſt. Ideo in principio noſtri ſermonis, De oculis, illam deſcripſimus. Et licet talis operatio ſit in manibus Empiricorum, qui ſolo vſu, & experientia illam exerceant: nihilominus, ſi prædictis conditionibus præditi eſſent, facilius, & tutius res ad vota ſuccederent in ſubiecto nobiliſſimo, ac ſubtiliſſima arte.

De præparatione localium applicandorum poſt chirurgiam. Cap. 13.

ANtequàm deueniatur ad cataractæ depoſitionem, parentur requiſita ad opus. Nempe

acus

acus congrua, vt dictum fuit ſuperius; albumen conquaſſatum croco, vel cumino pulueriżato: adſit coto mundus, & concinnatus; paretur defenſiuum rubeum, vel illud, quod deſcribitur a Io. de Vigo, lib. 3. cap. 7. quod commendo plurimum, vel oui album, & acetum roſ. conquaſſat. addito pul. boliarmeni; præſto ſint petiæ mundæ, molles faſciæ pro abſterſione lacrymarum, & ligando oculum, aqua roſ. & acetum roſ. ſi fortè fortuna deliquerit ęgrotans animo: ſcabellum, ſeu ſedile aptum, feniculum, vel aniſorum ſemen pro maſticatione operatoris, ceruicalia, &c.

Rite parata ſint omnia, & cõcinne ante operis aggreſſum.

Doctores, vt Celſus, applicat poſt opus oui album, molli lana exceptum. Paulus Egineta lanam

Lib. 6. cap. 21.

oui

oui luteo cum roſ. admiſtam alligat. Auicennas apponit vitellum oui conquaſſatum cum oleo violato, & cotone: ego albumen oui, & aquam roſ. cum croco, & cotonem adhibeo.

Lib. 3. f. 4. T. 3. cap. 20.

Auctoris medicam.

De *manuali operatione, ſeu depoſitione cataractarum.* *Cap. 14.*

PRæparatis præparandis, deueniendo ad chirurgum opus, blandis verbis æger conſolandus eſt, operationem lenem ſine ſanguine, ac ſine dolore futuram, & quod ſtatim, depreſſo panno cataractali, videbit, fauente Deo benedicto. Igitur boni ſit animi. Poſtmodum applicetur ſupra frontem defenſiuum vſque ad arterias temporales,

Verba cõſolatoria ad oẽs animi moleſtias ſubleuandas cõmẽdantur.

rales, ne humores de facili ad oculos confluant, ſtomacho ieiuno, at ſi timeatur ſyncopis, exhibeatur tantillum zucc. roſàti, vel offulæ cum vino granatorum. Collocato patiente in ſcamno, aptet manus ſub genuis, loco lucido electo, lumine aduerſo, nec radij ſolares offendant loculum, vbi opus perficitur, altero oculo faſcia alligato, vt firmiter permaneat. Medicus in parte oppoſita patientis, paulo altius ſedeat, ponaturq. inter vtrũque puluinar lanæ plenum, quo cubitus operatoris quieſcat, præſertim ſi excedat qualitates, & cõditiones præſcriptas in cap. De qualitatibus Medici operatoris. A poſteriori parte miniſter adſit, caputq. patientis contineat, illudq. immobile reddat. Tunc bene ad- *Quo modo ſituandus ſit patiens.*

aper-

apertis palpebris, tum a Medico, tum a Miniſtro, deueniatur ad a-ctum, comeſto feniculo, aperiatur oculus, & inſufflet ter, vel quater, vt cataracta motum cum calore recipiat. Deinde ægrotanti iubendum eſt, vt oculum affectum immobilem præſtet, & reſpiciat verſus naſum. Tunc operatio fiat in dextero oculo cum manu ſiniſtra, & in ſiniſtro cum dextera.

Cautelę obſeruandæ in opere.

Ego, adaptato patiente in cathedra, & capite depreſſo verſus nuccam, iubeo genua, & manus ſub coxas meas detineri, & ſic ante illum ſtans, Chriſti nomine inuocato, acu in ore madefacta, illico inter iridem, & minorem angulum oculum perforo hac conditione, vt æger verſus naſum aſpiciat, & venulæ euitentur. Perfo-

Alter operădi modus quo auctor, vti ſolet.

ratio

ratio fiat leniter, impingendo acũ, & concinne voluendo, & reuoluẽdo, donec in vacuum deuentum fuerit. Tunc vertatur parumper acus verſus corneam, & eius cuſpis vltra medium cataractæ impellatur. Acus enim ad intra apparet, velut in ſpeculo, tunc deprimendo deponat, & inferius reponat, & tantùm cum acu eam firmiter teneat, donec diceretur vnum Miſerere, vel Credo. Et ſi reſurgat, toties illam acu reprimat, donec inferius remaneat. At, ſi noluerit deſcendere, & ad aliam partem declinet, depellat illam ad partem, ad quam declinat, & ſeparet ipſam in ea, vt innuit Auic. cap. De aqua. cauẽdo ſemper de dilatatione pupillæ, & tactu cryſtallini. Si obſtinate rediret, iterum in plures partes

Tota operis intentio eſt, vt inferius deſcẽdat cataracta, & a pupilla remoueatur. Quare, ſi rediret remota inflãmatione, iterũ imponatur acus, et deprimatur.

tes diſſipanda eſt. Opere expleto, ſi videbitur tibi nō fruſtra laboraſſe, & oculus mundus, nec perturbatus fuerit, ad extollendam artem tuam, & ad ægri, atq; adſtantium conſolationem, obumbrato oculo cum tui præſentia oſtende ei ſignum tantùm, vel colorem, dicendo, Quid hoc eſt? eo viſo, Laus Deo. Acus leniter extrahatur, & oculi tegantur ambo medicaminibus enarratis ſuperiori capitulo, faſciaq. alligentur, ne ex motu vnius oculi alter moueatur. Ducatur deniq. pedetētim ęger ad propinquum lectum, in quo ſubleuato capite quieſcat, & in tenebris permaneat vſq; ad ſeptimam ſecundum Auicennam, ſecundum verò Practicantes vſq; ad nonam,

Experiri, an videat patiens, nō eſt præter rationem.

Cura,

Cura, & victus ratio poſt depoſitionem cataractæ. Cap. 15.

COllocato patiente in lecto, claudantur oſtia, & feneſtrę, ſic vt camera tenebris inducatur. imperetur patienti, vt iaceat ſupra collum ſupinum, vt dicebat Auic. nec loquatur, niſi ſubmiſſa voce pauca verba. Tranſeat prima dies ſine cibo, in ſequentibus vſq; ad ſeptimam cibetur panatella, & bibat aquam hordeaceam, vel curiandrorum, aut cinnamomi cū zucc. cibaria ſolidiora inhibeantur, quia ex maſticatione mouentur oculi, & de facili in primis diebus cataracta rediret, ſi autem vires diætam non admitterent, cibetur iuſculis pullorum, ouis recentibus, vel carne

Quemadmodum ſanus oculus gaudet luce, ſic ægrotus tenebris.

contuſa, &c.

Localia applicata, niſi quid vrgeat, permaneant vſq; ad quartam, deinde ſemel in die applicētur petię aqua roſ. myrtillorum, vel lacte imbutæ, poſt ſeptimam addatur aqua feniculi, & paulatine ad operationes redeat. Ante oculum deferat nigram, vel viridem ſindoné ſericam, ne oculus lædatur; & hoc vſq; ad decimamquartam & vltra, ſi opus fuerit. Si iſto interim reſurgeret cataracta, nec oculus phlegmone, ophthalmia, vel dolore tentetur, iterum reponatur acus in eodem foramine, & fiat diligenter eadem operatio, vt superius. At ſi inflammatio, & dolor obſtarent, tunc expectanda doloris ſedatio, quod debitis medijs perficiatur, obtundendo venam hume-

Raro ulcus detegatur, niſi neceſſitas vrgeat.

Si cataracta reſurgat in toto vel in partem, & p multum tẽpus ab aliquo ſympthō. impediamur, trãſactis ſex menſibus, redeundũ erit ad depoſitionẽ.

humeralem, cucurbitulas cum ſcarificatione, applicando frictiones ligaturæ exercēdæ, brachia, & crura aqua tepida fricentur: hirudines poſt aures applicentur temporibus: aperiatur frontis vena, anodina præſidia exerceantur, & ſi neceſſitas ingruat, ad narcotica deueniatur, vt inferius cap. de ophthalmia inſinuabimus. Ad quod in neceſſitatibus recurratur. ſi aluus reddatur aſtricta, excitetur glandibus, vel cum vnc. 4. ſy. roſ. ſol. aut violati ſol. & ſic explebitur cura cataractæ incipientis, ac confirmatæ, ſuffragante Deo.

Si catera non faciāt ſatis, deueniatur ad cauteriū.

De *vngula oculorum. Cap.* 16.

EXplanata ſuffuſionis curatione, ſubſequenter de vngula

ſermonem faciemus. Quæ eſt mē-branula neruoſa a domeſtico oculi angulo, a parte narium oriens, per oculum ſe obtendens, & vſq; ad totam pupillam aliquando perueniens, viſum impediens, atq; ipſius oculi motum propter bulbi cōtractionem, vel ſecundum Auicennā eſt excreſcentia quædam pannicularis procedens a lacrymali ſuper coniunctiuam, vſq; ad corneam, & pupillam ſe extendentem. Veruntamen vt plurimum oritur a lacrymali domeſtico a parte naſi, licet interdum a parte ſylueſtri, aliquādo a parte ſuperiori, nonnunquā ab inferiori. Auicennas cap. De vngula. ponit quattuor ſpecies, inquiens, Vngulæ reperiuntur diuerſorum colorum, nempe coloris rubei, albi, citrini, & aliquando fuſci.

Vngula q̄d ſit.

vngulę ſpecies quot ſint.

alij

alij ponunt duas duntaxàt, nempe neruoſam, & adipoſam. Ex his quædam ſunt recentes, & lenes, quæ velociter remouentur qualibet ſuſpenſione: quædam inueteratæ, & duræ, quæ difficilius ſeparantur.

Cauſæ vt plurimum contingunt a præcedente ſcabroſa lippitudine, aut ex aſſidua fluxione groſſorum, lentorum, ac viſcidorum humorum a malo regimine cauſata. *Vngulę cauſa.*

Signa ex dictis nota ſunt, & viſu maxime deprehenduntur. Additur, quòd qui tali præter naturam affectu detinentur, ſe in oculis ſabulum habere videntur: & dum membranula, quę vngula appellatur, occalluit, oculi motus impeditur, vt ad latus vngulæ oppoſitum verti nequaquam poſſit. *Vngulę ſigna.*

Vngulę iudicium. Iudicium, niſi caute, eleuando membranam, procedatur in remotione vngulæ, verendum eſſet de læſione tunicæ corneæ. Similiter in inciſione vngulæ iuxta lacrymale prudenter procedatur. nam ſi de carne lacrymalis incideretur, fluerent perpetuò lacrymæ, & in hora inciſionis ſequeretur ſanguinis fluxus. Ergo ex conſilio Ieſus diligenter, & ſubtiliter opus expleatur. & ſi quid reſidui ſuperfuerit, per abſtergentia, ſeu erodentia paulatine remouebitur.

CVra duo expoſcit regimina, vniuerſale ſcilicet, & particulare. De vniuerſali in affectu confirmato nullum verbum. Nam ad particularia recurrendum, quæ erunt topica præſidia, & docta

In Vngula confirmata ſola chirurgia prę ſtat.

ma-

manus. Topica, ſeu localia in recentioribus, & non admodum duris, ſint mollificantia, abſtergentia, ac reſoluentia. excalfiat primò oculus fotu ex aqua tepida, vel ℞. hordei, maluarum, florũ camum, melliloti, fænu græci aña pug. 1. bulliant in aqua pro fomento cum ſpongijs mundis a ſalſedine: deinde abſtergentia infraſcripta admoueantur, mitiora primùm, ſcilicet thus, zucc. candidum, pumex torrefactus, vinoq. læuigatus, teſtæ ouorum tritæ, cornu cerui, vel caprini vſtum, & c. poſtmodum ad vehementiora deueniendum, ſcilicet. ℞. fellis caprini, mellis aña drach. 2. miſce, aut ℞. æris vſti drach. 1. croci ſcrup. med. miſce, ℞. lapis magnetis, æruginis raſæ, minij, ſuffiminis amoniaci aña

drach. med. croci drach. 2. mellis coclearium medium. Aliud. ℞. æris vſti, chalcanthi vſti aña drach. 1. ſalis amoniaci, ſpumæ maris aña drach. med. cũ ſucco rutę formẽtur paſtilli, de quibus vnus in aqua feniculi diluatur, aut aridus in pollinem redactus vngulæ aſpergatur.

Aetius ſermone 7. cap. 58. vbi agit de Pterygijs.

Aetius ſal amoniacum cum teſta ſepiæ vſta apponit. At Gal. lib. De oculis. cap. 10. applicandum iubet æs vſtum, flos æris, fel porcinum, & ſal amoniacum. ſi autem hæc non proficiunt, inquit ille, apponatur medicina putrefactiua, atq. erodens.

Paulus æs vſtum, vel atramentum ſutorium ſimiliter combuſtũ, cui gummi portio, ac porcinum, ſeu caprillum fel mixtum, tãquàm efficax medicamentum approbat.

Tral-

Trallianus ſepiæ teſtam crematam, læuigatamq. cum ſale foſſili commendat.

Raſis 9. ad Almanſorem. cap. 21. ponit ſief de chalcantho. Notandum, quòd mineralia omnia lota mordicabunt minus. Ego ſoleo vti aqua mellis ſtillatitia, & aliquando præcipitato aqua ardenti irrorato, & combuſto per nouem vices reiterando: interdum mixto cum Zuccaro finiſſimo: quandoq. ſolo præcipitato, at cautè.

In veteratis, duris, ac male morigeratis, in quib⁹ parũ, aut nihil localia proficiũt, docta manu agẽdũ. nãq.

Interdum manui cedit doctrina peritę.

Gal. ergo ſententiã ſcitabimur, qui lib. De oculis. cap. 10. ſic teſtatum reliquit. Vngulę, ſi durę fuerint, & *Grauiſſimorũ auctorũ sẽtẽtię, & cautelę.*

vete-

veteres, incidere eas, vel excoriare optimum eſt. In duris verò, & antiquis melior cura eſt, inquit, Auic. cap. proprio denudatio, vel eleuatio, ſeu ſeparatio, & propriæ, quando eſt lenis, denudationis, & eleuationis, nam quæ eſt alia, deducit ad nocumentum, vt ipſe dicit.

Primus modus.

Chirurgia. AEger, ieiuno ſtomacho, in ſedili aduerſus, vel contra medicũ collocandus eſt, vt dictũ eſt cap. De depoſitione cataractæ. aut in ſinu Medici caput reſupinus effundat. Quidam, ſi in ſiniſtro oculo vitium ſit, aduerſum; ſi in dextero reſupinum collocari volunt. Alteram autem palpebram a miniſtro duduci oportet; alteram

a Me-

a Medico: deinde operator hamulo argenteo, ſiue vnco, modice inflexo, circa medium vngulæ infixo, ſeu emerſo, illam leuiter eleuet, ne cornea tunica trahatur, quod inflammationem paret. Dum autem ſic eleuata continetur, penna anſerina plana, vt eſt illa, qua cithara pulſatur, ſed aliquantulum maior, obtuſa cuſpide, vel inſtrumento argenteo, ad folij roriſmarini, vel ſpicæ nardi ſimilitudinem, cuſpide, atq; a lateribus obtuſo, excorietur paulatine ſenſim, & ſenſim; primo verſus lacrymale, deinde leniter remoueatur a cornea penitus; ac deniq. iuxta lacrymale, cautè tamen, forbicibus incidatur. Secundus modus. Situato patiente, vt ſupra, Medicus accipiat acum argenteam longitudinis

Moderni empirici ſic operantur, et bene ſuccedit.

Secundus modus.

nis

nis quattuor digitorum, quæ vndiq. flecti poſſit, ad Medici libitū; quæ in foramine ſericum filum, ac pilum e cauda, vel crinibus equorum habeat; vel loco pili imponatur cordula teſtudinis, & adæquatis pilo, & filo, qui in cauda acus immiſſi ſunt, ſputo liniantur, & a parte caudæ acus, ſic munitus, immittatur, & tota vncula apprehendatur. Si enim acus non ingrederetur, eleuata vngula hamulo, imponatur acus, deinde filo ſerico conſtringatur, & alligetur vngula, & a miniſtro ſuſpendatur. tunc Medicus pilo, vel cordula teſtudinis blande hinc inde excoriando ambobus manibus, pilum ſurſum, ac deorſum trahendo ad modum ſerræ, donec tota exſoluta fuerit, tunc pilus a parte corneæ educatur,

Imponitur pilus, & filus: quia cū filo conſtringiť vngula, et eleuatur cū pilo ſerrādo excoriatur, & ſeparať optime.

tur,

tur, & a parte lacrymalis forbicibus incidatur cautè, ne de glandula aliquid tangatur: nam ſi aliquid remanſerit, præſcriptis medicaminibus deleri poterit. Et hic eſt verus modus, quo vti ſoleo, feliciſſimo ſucceſſu, licet Practicantes in vſu habeant primum modum, elige quem libet.

Albucaſis deſcribit tertium modum, qui non valet in vngula neruoſa; poteſt bene exerceri in vngula adipoſa, & fragili, quæ poteſt ſuperficie tenus abradi, & leuiter deleri, citra tamen tunicarum læſionem: nam, quod erit reſiduum, remouebitur corrodentibus, abſtergentibus, & mundificantibus ſupra enarratis, vel cum linimento infraſcripto, quod inter mundificantia citra mordicationem eſt *Tertius modus ex Albuc. lib. 2. cap. 16.*

regium remedium : intemperiem enim tollit, lacrymas exſiccat, viſum clarificat, & prohibet palpebrarum vnionem: quæ poſt operationem interdum ſubſequi ſolet. videlicet.

Vnguētum pretioſū in omnibus affectibus oculorū externis: quo modo, & Romę, & vbiq. feliciſſimo ſucceſſu ſum vſus, & a me vocat, Claro viſus.

℞. lardi porcini raſi vnc. 1. rutę aliquantulum contuſæ pug. med. bulliant in aceto roſ. & aqua roſ. aña vnc. 3. ad exſiccationem medietatis colentur, & per noctem congelari permittantur; deinde remoueatur pinguedo, & pluries abluatur interdum vino albo, & aliquando aqua roſ. vſq. ad nouem vices, deniq. addatur tutiæ præparatæ, margaritarum, corallorum rub. zucc. finiſſ. aña. drach. med. camphoræ ſcrup. med. redigantur in ſubtiliſſimum pollinem, & miſceantur, ac in vaſe vitreo ad

vſum

vſum ſeruetur miſcella, & de ſero hora ſomni imponatur in oculo de ea ad quantitatem grani frumenti, repetatur ſecundum neceſſitatem: de mane autem abluatur oculus, atq; aqua hordeacea abſtergatur.

Poteſt oculus ſimiliter mundificari lingendo. eligatur aliquis ex humili plebe, qui ponat ſuper linguam ſuam rodomel, & per plures vices oculum in dies lingat, donec mundus efficiatur.

Lictus ad delẽdas cicatrices eſt mirãdꝰ, et a me pluries expertus, & eſt Auic.

Poſt operationem, & vngulæ remotionem, applicentur ſupra oculum infraſcripta localia, videlicet, acri muria oculus infundatur, deinde ſal, & cuminum maſticatum ſuper oculũ imponatur: deinde ſuper palpebras coto oleo roſ. & violaceo, ouo commixtis imbutus imponatur. ſequenti die

foueatur oculus lacte, aqua roſ. ac zucç. finiſſimo mixtis. liniatur aliquando linimine ſupra dicto, ne palpebræ vniantur. circa reliqua abſterſionem præſtabunt, quæ dicta ſunt, gradatim tamen, atq; cautè procedendo, vt res poſtulabit, & hoc de vngula.

De ophthalmia, ſeu oculorum lippitudine. Cap. 17.

PRopter acredinem, & eroſionem medicamentorum, quæ in oculis applicantur ad vngulas delendas, ſolent interdum inflammari: ſed magis propter operationem manualem, quæ de facili & dolorem, & fluxionem accerſit. Quare non longe ab inſtituto diſcedam, ſi paucis de illa dixerim pro

Ex retroſcriptis operationibus non ab re oculus inflāmari poterit.

pro perfecta oculorum curatione. Ophthalmia eſt oculorum inflammatio, ſeu lippitudo in adnata, ſeu coniunctiua tunica, ex acredine localium, aut propter excoriationem, ſeu perforationem oculis præſtitam. Quapropter pro vera curatione ſtatim vinum ſubtrahẽdum, ac tenuis prorſus victus inſtituendus erit; & æger pane, & aqua contentus erit. In loco obſcuro decumbat, ante oculum affectum ſindonem ſericam nigram, vel viridem deferat, curas, & animi perturbationes euitet. Si dolor, rubedo, tenſio, ac copia lacrymarum ægrum detineant, ac fatigent, cura, ſi nihil obſtiterit, a venæ ſectione ordiatur, lenita prius aluo, humeralis ex eodem latere ſecetur vena per repetitas vices,

Venæ ſectio copioſa fiat, vbi dolor ſit ingẽs: ſi autẽ vires debiles, repetatur paulatine, nã in maximis ac

loribus, & vehemẽtiſſimis inflãmationib⁹ ſãguinẽ extrahere ad animi deliquium confert.

Velut plethoria de venę ſectione indicat: ſic cacochymia de purgatione:

ces, & ſanguis pro infirmi tolerantia educatur. Aluus clyſterijs leniatur; caſſia, ſy. roſatus ſol. manna, & talia exhibeantur: loco vero ſy. præparetur ſy. roſ. vel de endiuia cum aqua hordei, vel de endiuia. At, ſi corpus fuerit cacochymum, cõcoquatur humor peccans, & congruo pharmaco educatur. Corpore euacuato reuellantur humores, & illorum impetus obtundatur frictionibus, ſcilicet ligaturis, cucurbitulis, hirudinibus, veſicatorijs, cauterijs, & præcipue ſetone nuccæ applicito: qui inter cætera præſidia plurimum præſtat. Anodina deinde, quæ applicari poſſunt, talia eſſe debent; videlicet ℞. florum camu. lactucæ, violarum aña m. 1. bulliant in aqua pro lotione brachiorum a

cubitu

cubitu infra, & crurium a genibus infra; repetatur pluries ante cibum. Item ℞. defenſiui rubei vnc. 1. med. applicetur ſupra frontem, vel ℞. albuminis ouorum cum aqua roſ. & pauco aceto roſ. conquaſſatis. vel ℞. olei roſ. aquæ roſ. & aceti roſ. mixtis, & vrgente neceſſitate, tranſcendatur ad ſuccum ſemperuiui, ac ſolani; oculi autem irrorêtur cum lacte mulieris, puellam lactantis, nuper ab vberibus emulcto, vel lacte aqua roſacea mixto. vel ℞. ſief albi ſine oppio drach. 1. med. tutiæ pręparatæ drach. med. canphoræ ſcrup. med. aquæ plantaginis, roſ. violarum aña vnc. 1. feniculi vnc. med. miſce pro collyrio. Albumen oui elixati, & duri cum zucc. & lacte applicatum prodeſt. Mica panis,

lacte imbuta, & ſæpius applicata lenit. Aqua expreſſa ex albuminibus ouorum elixis iuuat: emplaſtrum ex pulpa malorum appiorum cum zuccaro & lacte confert. In cura coacta deueniatur ad narcotica: nam dolores tribus medijs tolluntur, vel per remotionem cauſæ, aut per anodina, vel cum narcoticis. Hippocrates verò dicebat, dolores oculorum meri potio fomentum, balneum, aut medicamentum epotum ſoluit; declinante morbo, reſoluentibus procedendum erit ex decocto melliloti, fœnu græci, & c. Arnaldus celebrat puluerem mirabilem præparatum pro Papa Ioanne pro remotione rubedinis, & humiditatis oculorum, videlicet. ℞. tutię prępáratæ drach. 4. antimonij præparati,

rati drach. 2. margaritarũ drach. 1. floris corallorum rub. ſcrup. 2. med. ſerici crudi de floſculo vermis ſcrup. 1. fiat pul. ſubtiliſſimus, ſeruetur in pyxide ærea, & applicetur in oculo cum ſtylo pluries. Sunt quàmplnrima alia, quæ ad rem facerent; tamen gratia breuitatis de his hactenus.

De Cauterijs, & Illaqueationibus. Cap. 18.

CAuteria actualia apud Græcos parum in vſu fuerũt; imo rarò dignati ſunt nominare cauterium: at apud Arabes ſemper in frequenti fuerunt vſu cum feliciſſimo ſucceſſu: nam Auic. lib. 3. fen. 4. cap. 29. plurimas tribuit prærogatiuas, inquiens, Cauterium

Gal. loco actualis cauterij utebatur ſinapiſmo.

medicamen eſt valde vtile: prohibet enim corruptionem, confortat membrum, corroborat, reſtringit ſanguinis fluxum, reuellit, euacuat, &, vt vnico verbo dicam, medicamentum eſt ſecuritatis, ſemper iuuans, & nunquàm nocet. Inſtrumentum, cum quo effici debet, laudatur ab Auic. cap. prædicto, de auro, & de ferro, aut de calybe. Confert cauterium omnibus complexionibus, excepta calida abſq. materia, & ſicca ſine materia: & licet etiam in complexione calida, & ſicca cum materia aliqui dixerint non conuenire, cum calidus, & ſiccus præter naturam affectus nõ curetur præſidio calido, & ſicco; imo medicamento contrario, nẽpe frigido, & humido: cum axioma Medicum, iubeat, contraria con-

Cauterij actualis dotes plurimę et vbi cęteta uana, id excellit.

contrarijs curari: ad hoc reſpondetur, quòd ſi comparetur complexio calida, & ſicca hominis ad complexionem ignis, inuenietur frigida reſpectu cōplexionis ignis: hoc probatur experimento: ignis enim propter ſubſtantiæ ſuæ ſubtilitatem, & virtutem, vbi rationabiliter applicatur, vt in caſu prædicto, maximi eſt iuuamenti: quod niſi per ſe admittatur, ſaltem negari non poteſt per accidens, euacuando materiam noxiam.

Cauterium poteſt omni(tempore tutò applicari, & præſertim vrgente neceſſitate in omni ſexu, in qualibet ętate. extremum equidem eſt pręſidium non ea extremitate, quam intelligit vulgus, ſed extremitate virtutis, & bonitatis. nam quod cętere medicinę præſtare nequeunt,

In maximis procellis cauterium tuta anchora.

queunt, illud totum ignis large præſtat; & ad illum confugimus, tanquàm ad ſacram anchoram in omni maxima procella: & eſt auxilium non ſolum curans, ſed prçuidens. teſtes ſunt ſubtiliſsimi Florentini, imo Romani, apud quos adeo cauterium eſt in vſu, vt cum primum homo in lucem proditus eſt, & ſacroſancto Baptiſmatis ſigno inſignitus, cauterizatur in nucca. quæ actio eorum lingua dicitur Incendere. Ex hac operatione plurima ſequuntur iuuamina: primò cerebrũ exiccatur prõptius ad capeſcendas, ac optimè retinendas omnes diſciplinas, vt experientia comprobatur. Nonne videmus, Florentinos mercatores in mundi agibilibus ne duntaxàt in mercibus omnibus nationibus

Infãtes in vrere optimũ inuẽtũ, ac plurimũ commendandum.

eſſe

eſſe præſtantiores, actiores, ac ditiores? ſed hoc eſt præter noſtrum inſtitutum; ſequitur ex cauterio nucc̨, puellis applicito, propter euacuationem, quę inde fieri ſolet, quòd catarrho nō detinentur, neq. epilepſia corripiuntur, quę mater dicitur puerorum; aures non apoſtemantur; ex ore, & naribus parū deſtillat pituitę; glandulę circa collum non apparent; a ſcrofulis non deturpantur; oculi a lacrymis non grauantur; caput furfuraceis vlceribus non inquinatur; tuſſes, grauedines, raucedines, aſma illorū corpora non obſidet; &, vt vnico verbo dicam, a quibuſcunq. morbis, & affectibus, qui a deſtillatione fieri ſolent, redduntur per cauteria immunes. Cauteria actualia præpoſuimus, & approbauimus

cauteriũ actuale quã to formidabilius, ac potentiale, tãto præſtantius.

dimiſſis potentialibus, quia actio ignis eſt ſimplicior, & non lædit partes vicinas, & membra principalia; imo corroborat, vt ſuperius dictum eſt ex ſententia Auic. citius ex illo eſchara remouetur, & iuuamentum ſequitur magis cum ferro, quàm cum alijs metallis, licet Auic. dixerit, quòd melius fit cum auro. Hoc eſt verum in membris quibuſdam, vt ſunt oculi: in alijs autem ſicurius fit cum ferro. ratio, quia igneitas in ferro melius poteſt cõmenſurari, quàm in auro, & argento propter eorum colorem. ac ſi optimè ignear tur, eliquãtur de facili, & licet Albucaſis ponat ſeptuaginta cauteria, & vltra, non ſunt in vſu, niſi cauteria punctualia, ſeu rotunda pro excitanda fonticula in brachijs, tibijs,

Ferramẽta ad cauterizandũ non de facili deſcribi poſſunt.

ingui-

inguinibus, in ſubaſcellis, in ſummitate capitis, & in nucca præcipue: at in quibuſdam caſibus, ſi euacuationes totius corporis præceſſiſſent, non eſſet a ratione diſſonum, ſi ventoſa præcederet cauterium. nam rationabiliter factum eſſet probabilibus rationibus.

nã infinitę formę excogitari poterunt, pro vt affectus expoſtulant.

Inſtrumenta, quibus actualia cauteria fiunt, licet apud antiquos plura fuerint, ego tamen ad ſex formas reduci poſſe exiſtimaui; & per praxim probaui, ſcilicet efficiendo tria inſtrumenta pro qualibet forma cauteriorum, magnũ paruum, & medium.

Prima forma cauterij debet eſſe ad ſimilitudinem gladij, ſcindens ab vno latere: ac alia etiam ad ſimilitudinẽ enſis, ſcindens vtrinq.

Secunda forma oliuaris ad formam

mam oſſis oliuæ rotunda.

Tertia forma ſit ad inſtar oſſis dactili, & dicetur dactilare.

Quarta forma habeat cuſpidem gracilem, & rotundam cum glandula, vt non pertranſeat vltra intentum.

Quincta eſt acuta ad perforandam carnem, tenaculis apprehenſam, vulgò dicitur Pontirolo.

Sextum eſt circulare magnum ad cauterizandum ſiccam, & gibboſitatem: ac alia etiam ſemicirculare ad cauterizandum palpebram prolapſam.

Modus faciendi talia cauteria actualia erit, vt inueniatur locus, vbi applicanda erunt, inter lacertos, & muſculos: & locus ſignetur, & vbi erit opus, cuſtodia ſuperponatur, & patiens ſe præſtet immo-

mobilem, tunc cauterio bene ignito, locus cauterizetur, reuoluendo cito, & tuto; & infirmus non videat. At in oſſe fortius comprimatur: in neruo leuiter, dummodo operatio perfecte fiat, & expleatur intentio.

De cicatricibus, & albugineis. Cap. 19.

POſt explanationem cataractarum, & vngulæ, par eſt, vt de cicatricibus ſermonem faciamus: quæ cum pluribus inſigniantur nominibus, facilioris intellectus gratia omnia repetemus. Affectus hic dicitur cicatrix, macula, punctus, nebula, ſugillatio, albula, pannus, botor, floſculum, niuis, perla, lenticula, albugo, &

vngula adipoſa. Hęc omnia idem ferè ſonant; ideo de nominibus nō erit contendendum: nam differentia erit ſolum ſecundum magis, & minus; & albedinem, ſeu labem quandam ſupra corniformem, tunicam, & pupillam referunt, viſum offuſcātem. Harū autē alię tenuiſſimę ſunt, alię min⁹ tenues; alię craſſę exiſtūt, alię durę, & calloſę; alię minus durę, & recētes. quod multum facit ad faciliorem curam.

Cauſa duplex eſt, interna ſcilicet, & externa. externa ictus, vel plaga: interna verò eſt effuſio ſanguinis ad illas tunicas, coniūctiuā, & corneam. etenim quemadmodum accidit cæteris corporis partibus apoſtemari, ſic etiam contingit ipſi oculo: ex qua apoſtematione remanet cicatrix, vel ex in-

flam-

flammatione efflorеſcit floſculum.

Signa patent ad ſenſum, & ex relatione infirmi habentur, & ſupra tunicam veſtigium apparet.

Iudicium dictat, quòd, ſi magnæ, calloſæ, induratæ, ac craſſæ fuerint, ſubſtantiamq. corneę corruperint, curam non admittunt, ex Aetio ſerm. 7. cap. 7. & Cornelio Celſo lib. 6. cap. 6. Gal. lib. 5. de comp. ſecundum locos. & clarius experientia probatum eſt. Vnicum in deſperatis auxilium eſt, vt raſorio calloſitas a docta manu ingenioſe remoueatur, niſi cornea fuerit fracta: quæ nō regeneratur, cum membrum ſpermaticum ſit, & ex ſemine procreatum, non augetur, neq. coaleſcit, vt ex Hippoc. lib. aphoriſmorum, & Gal. lib. De ſemine habetur. Cura ad id, quod

fa-

factum eſt, ſcopus dirigi debet, delendi ſcilicet cicatricem. Primum ergo ex ſententia Auic. 3. 3. t. 2. cap. 18. fiat euaporatio, & fomentatio oculo, & parti affectæ cum aqua tepida; deinde lingua lingatur albula pluries. nam hoc præſidio generoſo multos vidi ſanatos. & modus erit, vt obſeruaui. Romæ erat quędam fęmina iuxta Ecclesiam diuę Marię in Via, quę huiuſcemodi lictu profitebatur curare, quicunq; ſibi offerebantur; vt de facto aliquos proprijs oculis curatos vidi. hæc enim de mane, ieiuno ſtomacho, comedebat feniculum, quod & patienti exhibebat; cui capite reſupinato, & oculo adaperto, lingebat pluries cicatricem, denique aqua limpida lotis oculis, illum dimittebat. &

ſic

ſic per 40. dies perſeuerebat. At ego, vbi prodeſſe viderim, per menſes perſeuerari iuſsi: nam gutta cauat lapidem, non bis, ſed ſepæ cadendo. Trallianus iubet applicari collyrium ex aqua papaueris rubri, & centaureæ minoris cum melle mixtis.

Gordonius, & Matthiolus cap. De hyrundinibus. ſuccum celidoniȩ, quȩ vulgò hyrundinaria dicit, ad aſtra extollunt. Raſis Tract. 9. ad Almanſorem. cap. 17. commendat infraſcriptum medicamẽtum, tanquàm nulli ſecundum. videlicet. ℞. vitri, made cocti, loco cuius poteſt ſumi raſura viridis vaſorum vltramarinorum, ſpumæ maris, ſtercoris magni lacerti, zucc. fini, baurach aña. partes æquales. Deinde ſumantur acori, ce-

lidoniæ aña. drach. 10. coquantur lib. 1. aquæ, donec redeat ad quartam partem, & colentur, & ex hac aqua imbibantur ſpecies, quas prædiximus, ita quòd conficiantur ex ea, & ſiccentur in vmbra; deinde terantur, & conſpergantur, vt prius. quod poſtquàm quater factum fuerit, ſiccentur, & terantur, & ſeruentur ad vſum. vel, ℞. ceruſſæ lotæ drach. 2. floris æris drach. 1. redigantur in ſubtiliſſimum pollinem, & ponatur in vaſe æneo mundo cum vino albo, ſucco rutæ, & celidoniæ, & demittatur per viginti quattuor horas: poſtmodum cum panno deſtillando colentur, & fiat aqua, quæ oculo ſtilletur ſupra cicatricem. Aqua mellis ſtillatitia prodeſt. Linimentum deſcriptum in cap. De vngula pro-

la proficit plurimum. ℞. mellis lib. 1. rad. feniculi, rad. ariſtolochiæ, aña. lib. med. celidoniæ, rutæ, feniculi aña m. 3. roſ. recentium, centaureę minoris aña pug. 3. vrinæ pueri lib. 2. macerentur ſimul in vaſe æneo per dies decem, deinde deſtillentur. ℞. cornu cerui vſti, ſepię teſtę, ſpumę maris aña drach. 1. med. amoniaci ſagapeni aña. ſcrup. 2. fiat pul. impalpabilis, qui imponatur ſupra albulam, vel ex eo cum aqua mellis fiat collyrium. ſi his omnibus cicatrix deleri nequiuerit, ex præcepto Pauli Aeginetæ lib. 3. cap. 22. ad decorandum oculum infraſcripta tinctura paretur, videlicet. ℞. gallarum, acaciæ aña. drach. 1. chalcanthi, drach. med. miſce. vel. ℞. balauſti, chalcitis, acaciæ,

gummi arabici, aña drach. 1. gallarum drach. 2. antimonij drach. 3. terantur, & cum ſucco florum papaueris fiat ſief. vel ℞. floris iuſquiami, in vmbra exſiccati, & triturati, vinoq. auſtero mixti, ad oculum denigrandum; aut exprimatur ſuccus mali granati dulcis cum floribus, & ſucco iuſquiami, vel ſolatri, & oculo ſtilletur. teſtæ etiam auellanæ ſubtiliſſimè tritæ, & parum aquæ admixtę colleriʒatæ, oculum denigrando, decorant. vt Gal. De oculis. particula quincta. cap. 10. docuit.

De *Sanie retro corneam*. *Cap.* 20.

EX diuturna, & magna ophthalmia ſanies ſequitur retro cor-

corneam, quæ tribus medijs curari poteſt, localibus ſcilicet remedijs, tranſpoſitione, & continui ſolutione externa, docta manu molita. localia ex Meſue talia proponuntur videlicet: ℞. ceruſſæ vnc. 1. oppij, ſercocollæ, lacte nutritæ aña drach. 1. amoniaci, croci, thuris aña drach. 1. draganti, gummi arabici aña vnc. med. fiat ſief cum aqua pluuiali, aut cum muccilagine fœnu græci. Gal. 14. meth. cap. 19. commendauit plurimum collyrium de myrrha. competit. & appoponacũ, euphorbiũ, & balſamum. ſi hæc non faciant ſatis, tranſponatur ſanies eo modo, quo ocularius Medicus, cui Iuſto nomen erat, facere ſolebat, qui capitis concuſſione multos hypopios ſanauit. Hic collocabat ægrum *Sanies corneæ tribus medijs remouetur.* *Primum medium.* *Secundum medium.*

in ſella rectum, & caput illius a lateribus apprehendens, mox quatiebat adeo, vt manifeſte deſcendere pus ipſi videremus, inquit Gal. loco ſuperius citato. Albucaſis lib. 2. cap. 22. qui vtranq. manualem operationem præponit: & tertius modus erit, vt ſcindatur locus phlebotomo paruo ſuper corneam inter pupillam, & album oculi, & extrahatur virus, & eſt ſimiliter Gal. 14. meth. cap. 19. ſic inquiens. Sub inde verò multum ſimul puris vacuauimus, diuiſa tunica, ea, quæ cornu eſt, ſpecie paulo ſupra locum, quo committuntur inter ſe tunicæ vniuerſæ. nominant porro locum grçcè alij irim, alij ſtephanon ideſt coronam. Tertiam operationem nunquàm ſum expertus, cum mihi ſit pluri-

Tertius modus.

Tertia operatio mihi reddit ſuſpecta.

mum

mum ſuſpecta, nec ſic poſſit de facili commenſurari, vt aqueus humor non exeat. Quare ad primã, & ſecũdam remitterem, & ęgrum, & operatorem, licet fruſtratis cæteris, & neceſſitate vrgente, ad tertiam aliquando recurri poſſit, vt nullus lapis relinquatur irreuolutus.

De procidentia oculi, ſeu acini formis græcè ſtaphiloma dicta. Cap. 21.

OCulis vitium accidit, præcedente fluxione, dolore, atq; exulceratione, quod ſtaphiloma græce dicitur; & eſt ceratoidis tunicæ vna cum rhagoide eleuatio. Appellatur & vuiformis ab vuæ acini ſimilitudine, & figura. voca-

tur & corneæ ruptura.

Cauſa huius eroſio, aut ruptio corniformis tunicæ exiſtit: tamen cauſa in morbo in facto eſſe nihil ad curationem præſtat; & ſigna ex dictis patent. Hoc vitium ſecundum magis, & minus quattuor ſortitur nomina; & primo, quando ruptura apparere incipit, caput dicitur muſcæ, a ſimilitudine, & figura muſcæ capitis: cum verò amplius increuerit, & eouſq. vt acinum vuæ repręſentet, ſtaphyloma græcè, a latinis vuatio dicitur. At vbi plurimum acuta fuerit, vt palpebras tranſiliat, malum vocatur. Verum, vbi callum obduxerit, pręter id, quod extra palpebras tranſgrediatur, clauus nuncupatur; quoniam per omnia claui capiti ſimilis exiſtit.

Staphyloma quatuor ſortitur nomina.

Ex

Ex his affectibus recentiores, & paruiores localibus curantur: inueterati, & maiores curam non admittunt, niſi ad decorationem, quæ chirurgia perficitur; vt infra dicemus. Nunc autem de cura, quæ per topica præſidia fit, proſequemur. Si igitur vitium ſit in principio, vel augmento, & a cauſa interna foueatur, illa prius tollatur debitis medijs; deinde ad localia ex Gal. ſententia 4. De compoſitione medicamentorum ſecũdum locos, deueniemus, quæ repellentia, & conſtringentia eſſe debent; vt Paulus, & Aetius pariter aſſerunt. Eſt verò eorum ſententia talis. Inquit Gal. At verò vlcera, quæ per eroſionem tunicę corniformis fiũt, vt etiam ex vuiformis quid pronuat, manifeſtum eſt; quòd tum

pro-

propter ſe ipſam, tum ob prolaxionem repellentibus, & aſtringentibus pharmacis illi opus eſt. Conãdum verò, vt ex illis eligantur, quæ nullam aſperitatem habẽt, vt ſunt folia roſ. flores, & ſuccus nardi ſpicæ, crocus, lycium, & hypociſtis. vel ℞. acaciæ, gallarum, balauſti, cytini, foliorum roſ. & florum cum vino auſtero, aut aqua pluuiali, ſi inflammatio adſit; bulliant pro fomento cum ſpongijs, ve ex dictis, addita hordei farina, fiat emplaſtrum. vel ℞. foliorum pantag. rubi aña pug. 1. elixentur, & addatur croci gr. 3. lycij hyjociſtidis. aña. ſcrup. med. ſpicæ nrdi gr. 4. miſce, & fiat catapſalma vel.

℞. aloes lotæ, tutiæ pæparatæ, ſercocollæ in lacte aſina nutritæ, aña. ſcrup. med. ſpicæ nrdi, croci

aña.

aña. gr. 5. antimonij vſti, & abluti ſcrup. 1: cum cremore traganti, aut fęnu gręci, fiat collyrium. ℞. gallarum balauſtorum, cytini, roſ. florum aña. vnc. med. terãtur ſubtiliter, & cum ſucco poligoni, aut virgæ paſtoris, & foliorum oliuæ, ac roſ. incorporentur. Si autem affuerit inflammatio, mitioribus ſẽper vtaris ex prædictis; & ſimul cum ouo recenti illa infundas.

Magna verò, & inueterata, ac calloſa ſtaphylomata chirurgia curari debent, vt moderatum ægrotanti decorem conciliemus; hoc pacto remoueantur, videlicet duas acus accipere oportet, filum duplicem intortum habentes, æquali prorſus longitudine, deinde homine ad pedes tuos collocato, capite reſupino, vt occiput ipſius *Primus modus operandi.*

geni-

genibus tuis innitatur, & deinde diſparatis palpebris per medium ſtaphylomatis fundum, ex ſupernis deorſum acus tranſmittatur: ſit autem non valde craſſa, neque oblonga, deinde, dum detinetur oculus, ab acu tranſmiſſa alteram acum, duplicem filum habentem, ſimiliter tranſmittito a paruo angulo ad magnum per medium itidem ſtaphylomatis fundum; quo figura duarum acum tranſmiſſarũ cruciformis, vt.†. nam cum paulo obliquior tranſmiſſio facta fuerit, facilius acus extrahuntur.
Deinde inciſis duplicatorum filorum principijs, ſuperna duo principia, ſuperno acus principio ſubiicientes, inferna verò inferno ſtrenuè conſtringemus, ſimiliter autem & obliqua acus principia conſtrin-

ſtringemus; optima verò conſtri-ctio fit rectis principiis ad obliqua ductis, & hoc modo colligatis, deinde apicem ſtaphylomatis reſecamus, ſolo fundo ipſius relicto gratia filorum, ne elapſis ipſis, humores oculi effundantur, & oculus cauior fiat; & hic ſubtiliſſimus eſt inter omnes alios modos.

Alter eſt acu duo linea fila ducente ipſas radices per medium tranſſuere, deinde vlterius lini duo capita ex ſuperiore parte; alterius ex inferiore conſtringere inter ſe, quæ paulatim id excidant. *Secundus modus.*

Vel in ſumma parte eius ad lenticulę magnitudinem excidere, deinde ſpodium, aut cadmiam infricare, aut filo ſerico arctè ſtaphil. totum amplecti, & alternis diebus paulatim conſtringere, donec excidat. *Tertius modus.* *Quartus modus.*

dat. Aut acū, quā deponitur cataracta, reuoluendo, oculus perforetur, & deſuper vſq; ad acum raſorio incidatur, & humores exeant, vt oculus perpetuo clauſus remaneat. ex dictis operationibus prima mihi videtur magis laudanda, vt ſubtilior, & minus doloroſa.

Quare poſt reſectionem apicis ſtaphylomatis acum extrahere oportet, filis, vt dictum eſt, conſtrictis, & tunc lac infundatur, aut oui candidum: ſupernè verò in palpebris applicetur ouum roſaceo conquaſſatum, addito pauco vino, lana excipiatur, & alligetur, ęgerq. in quiete ſeruetur; poſtera die fomentum fiat per ſpongiam lacte infuſam, & denuo lana ouo, vt ſupra, imbuta replicetur, & hoc fiat, donec fila excidant. Elapſis filis, appli-

applicetur ſief de thure, de plumbo & illa, quæ vlceribus oculorum conferunt, pro vt cap. De vlceribus oculorum ſuperius dictum fuit, ad quod pro neceſſitate recurrendum erit.

De Nictilopa, ideſt de eo, qui poſt ſolis occaſum non videt. Cap. 22.

ET ſi videar in hoc cap. mei inſtituti limites tranſcendiſſe, nihilominus quis mirari non debet, cum experientia mihi comprobatum fuerit pluries, infraſcriptis præſidijs Nictilopam curatam; nolui & de hac non meminiſſe. Cõcurrunt omnes Doctores, quòd huic vitio hepar hircinum, aut caprinum, diuerſimode adminiſtra-

Raſis præſidiũ ad Nictilopam. tum proficuum eſt. Raſis ad Almanſorem tract. 9. cap. 28. parat hepar hoc modo, ſcilicet ſcindit illud in plures partes profundas, & ſectiones, pipere longo replet, & ponit ipſum in furno, donec aſſetur, ſed non deſiccetur, poſtmodum piper triturètur ſubtiliter, addito pauco muſco, & imponatur in liquore expreſſo ex illo hepate, & exſiccetur, vt in ſubtiliſſimum pollinem redigi poſſit, & in oculo imponatur pluries, aut fel caprinum cum melle miſceatur, & ad ignem agitando incorporentur, oculiq. liniantur.

Quod autem ad hoc magis valet, eſt collyrium ex fellibus viuentium de rapina, a Raze deſcriptum, hoc modo, videlicet.

℞. fellis gruis, ſabot, hirci, accipitris,

pitris, aquilæ, perdicis, omnium ſiccorum, vnum, aut plura, ſumãtur quoq. pro omnibus drach. 10. horũ ſiccorũ euphorbij colocynthidis, ſerapini omniũ aña. dr. 1. trita aggregentur ex ſucco feniculi tenelli, & mittatur in oculo.

Valet & ſuccus feniculi cũ melle mixtus. vel ℞. ſpumæ maris, quę natat ſuper aquam, ſtercoris lacerti, ſaccari albiſſimi, maſſacumę, baurac aña. partes æquales, terantur, & cribellentur, & ſumatur ex chelidonia vnc. 1. coquatur in aqua ad conſumptionem medietatis, poſtea colentur, & imbibantur dicti pulueres in hac aqua in marmore, continuando eius attritionẽ in ſole per aliquos dies, donec conſumetur aqua: deinde fiat pul. ſubtiliſſimus: hoc enim eſt ſecretum *Gal. ſecretum ad Nictilopam.*

magnum, & expertum a Gal. ad oculorum caliginem. Si autem dicta non conferant, ſubdit Raſis, Soluatur venter, & ſanguis ex duabus cephalicis ex fronte mittatur, & regimen ſubtilietur, inquit ille. vel aſſetur hepar hircinum, & liquore, qui ex illo emanabit, liniantur oculi; aut incidatur in partes, & inciſiones inſpergãtur ſale amoniaco, & ſupra carbones decoquatur, & humiditas emanans colligatur, & oculis imponatur. proderit ſi hepar decoctum tum ex hirco, tũ ex hædo, & capra comedatur. vel

Hepatis eſus cõmendatur.

℞. ſucci feniculi vnc. 4. depuretur, & aliquãtulum coquatur, fellis hirci, mellis aña. vnc. 1. miſce pro collyrio.

Vſus eufraſiæ, betarum albarũ, nucis muſcatæ, mirabolanorum,

che-

chebulorum conditorum, & ſimilium eſt vtilis.

Quantitas lentis de ſpodio, diſſoluta cum oleo violato, naribus inſtillata, curat eum, qui non videt lunam, neq. ſtellas in nocte. Raſis refert, ſe vidiſſe, quēdam vſum eſſe hac medicina, & ea nocte lunam, ac ſtellas melius ſolito vidiſſe; & tertia die omnino viſum recuperaſſe. Et hæc de Nictilopa dicta ſufficiant, ac de oculorum affectibus. *Secretum a Raſis teſtatum.*

LIBER SECVNDVS,

DE AFFECTIBVS VESICÆ, QVI MANVVM OPE CVRANTVR.

De Anatomia Veſicæ. Cap. I.

Veſica ſitus.

VESICA ſita eſt in inferiore parte ventris ſub oſſe pubis, cui diligenter eſt connexa, ſubiacens inferne rectum inteſtinum, & os ſacrum; in fęminis autem inter veſicam, & rectum inteſtinum vterus collocatur. Eius figura rotunda ferè eſt, oblonga, & cōcaua ſatis, deſinens in ceruicem, vrinariumq. meatum; vrinæq; eſt receptaculum, duabus tunicis fabricata, quarum exterior oritur a peri-

peritonęo, interna pluſquàm duplo craſſior: cuius ſubſtantia neruoſa exiſtit, & craſſa, ſatis tribus fibrarum generibus donata, vt Gal. lib. p. De facul. nat. & in fine quincti. De vſu partium. Vexallioq. placuit, rectis in aquam, tranſuerſis, atq. obliquis ad attrahendum, cōtinendum, & expellendum. Quæ extenditur in copioſam vrinam recipiendo, illa expulſa, contrahitur, pro vt eſt opus. Veſicæ collum in maſculis, ſeu ceruix oblonga eſt ſatis, & penè carnea. In fęminis autem latum, & exiguum eſt, vt quod omne ſiſtendum, ibi fuerat. Magna in maſculis ceruix: quia particula quadam inſigni ad extremum collum veſicæ ſita ſuperet, quam colem appellant. Ineſt ei ipſi veſicæ meatus anguſtus, &

ad modũ obliquus inſtar, *ſ ſ ſ ſ:* cui duæ aſtant glandulæ paraſtatę, hoc eſt aſſiſtentes, craſſæ, & albæ, quæ per vaſa, Criſoide appellata, ſemen ſuſcipiunt, quod deinde in meatum, ad extremum penem deſinentem, in coeundi voluptate demittunt: a quo tandem foras pellitur, atq. eiaculatur: etenim meatus hic tum vrinæ, tum ſemini communis eſt: in quo vrinario ductu inter dictas glandulas eminentiorem, ac oblongã cernimus partem, per quam ſemen exit, ſi glandulas cõprimas; ſecus in mortuo: nihil intuetur primo intuitu; ſed ſi rectè, & ſubtiliter proſpicias foraminula, inſtar ſpongię apparent. Glandulas exprimendo, ſemen emergit. In finibus ceruicis, vbi veluti glandulosũ eſt corpus, vbi flecti

flecti incipit meatus vrinarius, ſeu membrum, eſt muſculus rotundus inſtar anuli, aliquantulum craſſius in parte ſuperna, quàm in inferna: amplectitur parte totum collum, & habet filamenta quædam, quæ ipſum circulariter circũdant. Eius officium eſt, ne vrina inuoluntariè exeat; qui muſculus ſi relaxatus fuerit, vt contingit aliquando in relaxatione veſicę, & in extractione lapidis per ſectionem, prẹſertim ſi lapis magnus fuerit; perpetuò inuoluntariè vrina exiet: hic idem muſculus in mulieribus idem præſtat: ſed cum fuerit breuior, non fuit illi opus glanduloſi corporis. Ideo totum collum circulariter complectitur, & colligat ceruicem cum ſuperiore parte vteri circa orificium eius, qui muſculus quantò

longior eſt, quàm in hominibus; tantò eſt ſubtilior, & quantò ceruix in mulieribus breuior eſt, tantò illa eſt craſſior. Poſterior veſicę pars, quæ adhęret recto inteſtino, & in mulierum vtero, lubrica admodum eſt, tecta a quadam aquoſa humiditate: in poſteriori parte huius lateris duo ductus deſcendunt, velut venę, ſed craſſiori intertexti tela, & obliquis filamentis, qui a renibus procedunt in progreſſu a peritonęo ex quadam tela ſuperius obtiguntur: qui ductus a medicis Vretęres, ſeu Pori vritici dicuntur: per quos vrina deſcendit ad veſicam, & ingreditur inter duas tunicas per diuerſa diuerticula, ſeu giros; adeo vt ingreſſa non poſſit regurgitare, ſeu retrocedere, ad inſtar aeris, qui in magnis

gnis pilis impellitur, dictæ Palloni da vento.

Veſica, & reliquæ penè omnes noſtri corporis partes venas, atq. arterias nacta eſt, a quibus alimentum, vitamq. ſuſcipiat; neruos autem duorum generum, tum a ſexto neruorum pari, tum a medulla ſpinali. Eius vtilitas fuit, vt diximus, vt vrinam ab vreteribus adductam primò ſuſciperet, deinde aliquandiu detinere, poſtremò expellere. Quammobrem nihil mirum eſt, ſi fontis imaginem præſeferet.

De Veſicæ Lapide. Cap. 2.

LOquuturi de calculo veſicæ, qui per manualem operationem remouendus venit; conſultò de renum lapide, articulorum, hepatis,

patis, inteſtinorum, pulmonum, articulorum, & aliarum partium ſermonem prætermittimus: de quibus omnibus Gal. 14. meth. & pluribus in locis Auic. lib. 3. & Aliabas 9. ſermone. partis primæ prolixius pertractarunt. Nec videatur mirum, ſi dixi in qualibet parte corporis lapides generari: nam ipſe pluries vidi, & plures curaui; at ſolam hiſtoriam cauſa breuitatis recenſere placebit. Curaui matronam nobilem, D. Aureliam de Coſtantinis de Fabriano, cui tractu temporis ſupra rotulã genu creatus fuerat magnæ molis tumor, prohibens & flexum partis, & motum progreſſiuum; & quàmſæpiſſime punctiones ingentes percipiebat: accerſitus ego, cum ære publico medicinam conductus factitarem;

Hiſtoria D. Aureliæ de Coſtãtinis.

tatem; abſceſſum aperui, & diuer-
ſis vicibus libram, & vltra calcu-
lorum extraxi; ex quorum alter oli-
uę ſeruabat magnitudinē, &, Deo
ſuffragante, perfectè conualuit.
Sed hæc miſſa faciamus, cum in-
tentio noſtra ſit duntaxàt de lapide
veſicę, & de illius remotione per
inciſionem, & chirurgiam pertra-
ctare; docebimuſq. veram, ac per-
fectam operationem non hacte-
nus deſcriptam, nec fortaſſis exe-
qutioni mandatam ab alijs, quod
ego ſciam. Creantur igitur huiuſ-
modi veſicæ lapides, ſeu calculi, A-
liabatis auctoritate loco ſuperius
citato, quemadmodum lateres ef-
ficiuntur extra in fornace; & in le-
betib⁹ balneorū; ex materia craſſa,
& viſcida materialiter coadunante,
meatum ſtrictura eam ſeruante in-
ſtru-

ſtrumentaliter, & a caliditate loci effectualiter. Gal. autem primo elementorum, ſic declarat, Crudo, inquit, chymo aſſumente quid viſcoſum, quando meatus, qui ſecũdum renes ſtrictiores quidem extiterint, natura moram faciens ibi, quod craſſum, & viſcidum eſt, paratum eſt generare porum, lapidi ſimilem, qualis adnaſcitur vaſis, in quibus aquam calefacimus: quæ generatio variat: in quibuſdam citius fit, in quibuſdam autem tardius, vt Gal. 6. epidemiarum ait, tantum agit debilis agens in multo tempore, quãtum fortis in pauco. Poſſemus & ex Ariſtotele, in mineralibus quomodo fiat lapidis generatio, quærere. At has ſubtiliores quærere ſpeculationes, eſſet præter inſtitutum, cum de praxi noſtra

noſtra ſit pertractatio. Cauſæ petrificationis, & lapidis in Veſica ſunt tres, ſcilicet calor, materia viſcoſa, & ſtrictura meatuum: quia calor adurens, agens in materiam viſcidam, retentam per ſtricturam meatuum, per diurnam conuerſionem, reſoluendo humidum, exſiccat, coagulat, & indurat, licet id non ſolum in veſica, ſed alijs partibus corporis contingere poſſit.

Bonus autem ſenex Hippoc. lib. De aere, aquis, & locis, ſic teſtatum reliquit, inquiens. Calculo verò maxime laborant homines, & renum affectionibus, & vrinæ ſtillicidio, & coxendicum morbo corripiuntur, & herniæ fiunt, vbi aquas omnigenas bibũt, & de magnis fluminibus, in quæ alia deferuntur: & de ſtagno, in quod flu- *Cauſa lapidis ex Hippoc.*

xiones

xiones multæ, ac omnis generis deueniunt. & qui aquis in vectitijs vtuntur, quæ ex longo, & non breui locorum interuallo afferuntur. Non enim fieri poteſt, vt alia aqua ſimilis ſit alij: ſed aliæ dulces ſunt, aliæ ſalſæ, & aluminoſæ, aliæ de calidis fluunt. Vbi verò hæ ſimul inter ſe miſcentur, diſſident; & quæ fortiſſima eſt, ſemper exuperat. Præualet autem non ſemper eadem, ſed alias alia. Sed & ex ventis, alij quidem Boreas robur exhibet, alij vero Auſter: & de reliquis eadem ratio exiſtit. Talibus igitur neceſſe eſt limum, & arenam in vaſis ſubſidere, & ab his, ſi potentur, morbi prædicti fiunt. Deinde ſubdit, Quorum quidē aluus ſatis fluida eſt, ac ſana, & veſica nō ardens, neque ſtomachus veſicæ

valde coardeſcit; hi facile vrinam eijciunt, & in veſica nihil ipſis cõgregatur. Quorum verò aluus ardens, ac feruida fuerit, in his neceſſe eſt, etiam veſicam idem perpeti; cum enim magis, quàm pro natura fuerit calefacta, ſtomachus ipſius inflammatur. Vbi vero hęc perpetitur, vrinam non demittit, ſed in ſe ipſa conquoquit, & adurit: & quod quidem tenuiſſimum in ipſa eſt, excernitur; & quod puriſſimum eſt, tranſit, & emingitur. Quod verò craſsiſſimum, ac turbidiſſimum eſt, coaceruatur, & concreſcit. Primum quidem parum, deinde maius fit. Dum enim voluitur ab vrina, quicquid craſſum compactum fuerit, ad ſe ipſum adaptat, atque ſic augeſcit, & in tophum cõcreſcit: & cum vri-

nam emittit, ad veſicæ ſtomachum allabitur, ab vrina impulſum, & vrinæ emiſſionem impedit, & dolorem vehementem exhibet.

Cauſa calculi ex Auic.

Auicennas reijcit cauſam in crapulam, & indigeſtionem, & craſſum regimen: fit etiam in pueris ex lacte, ſi non ſalubre id fiat; ſed valde calidum, & bilioſum: ventrem enim percalefacit, ac veſicam. Quare vrina, dum aduritur, hæc patitur; & ſanè ſentio, melius eſſe pueris vinum quàm aquoſiſſimum dare: minus enim venas adurit, ac reſiccat. Cauſa autem retentionis materiæ eſt debilitas expulſionis, & viarum oppilatio. cauſa vero caliditatis exceſſiuę eſt labor renum, & veſicæ, & calefacientium vſus, vt ſuperius diximus. Concludimus, lapides in veſica ex ſuperflui-

tatibus varijs, ac viſcoſis generari, ex quibus mingendi difficultas ſequitur.

Signa lapidis veſicæ ſunt vrinæ crudæ, & colore ſubalbidæ, ſeroſæ cum ſedimine craſſo, & arenoſo, & ſcabiei ſimiles, præterea ſympth. ſunt dolor in collo veſicæ, & in virga, ac in pectine, atque prurigo in glande priapi cum tenſione, & erectione virgæ; & cum difficultate mingendi, & ardore veſicæ, aſſiduoq. deſiderio fricandi virgæ præputium; & aliquando, ſedendo, ſenſerit punctiones propè anũ. continuè quoque in vrinam propellitur, ac ſtillicidio vexatur. Interim quoque vrina de repente eis ſupprimitur, pręſertim vbi lapis in veſicę ceruicem inciderit: interdũ vnica vice & fęcum, & vrinę exitus *Lapidis veſicæ ſigna.*

denegatur; vel inuito ſtercus cum vrina emittitur, & propter maximos conatus ducit multoties ad exitum recti inteſtini, & maximam ſitim inducit, ac quoties mingit, ſtatim mingere videtur. Hippocrates aphoriſmorum 4. aph. 79. vnico duntaxàt ſigno hunc affectum dignoſci teſtatum reliquit, cum dixit, In quorum vrinis, veluti arenulæ, ſubſiſtunt, his veſica laborat calculo. Verum hoc inditium cõmune eſt tàm veſicę, quàm renibus calculo laborantibus, vt liquet ex Gal. comm. eiuſdem aph. Præterea addenda prædicta eſſe viſum fuit, ideo his notis tum partẽ affectam, quæ veſica eſt, tum etiã & qualitatẽ affectus, qui calculus, ſeu lapis dicitur, dignoſcere poterimus: vbi enim dolor, ibi morbus.

Signa

Signa præcipua in pueris ſunt, fricatio, & pudendorum contractio, ac tenſio: videtur enim ipſis affectum locum eſſe penis extremitatem, dolor, proſtratio in terram, querula lamentatio, & dormientes inuiti mingunt in lecto, locuſq. occubitus, ac camiſea vrina ſemper redolet, vrgentur ad crebram vrinam reddendam, ſtillicidio vexantur, & validis defatigantur conatibus. *Calculi ſigna in pueris.*

In fœmellis autem ſecus ſe habet: meatus enim veſicæ breuior eſt, & amplior, vt facilius vrina impellatur, nec manu pudenda fricant, veluti maſculi: meatus etenim eorum amplior eſt. Qua de re etiam plus bibunt, quàm mares. *Fœminarũ calculorũ ſigna.*

Diuerſificantur huiuſmodi affectus, pro vt lenior, ſeu aſperior

fuerit lapis; craſſior, & minus craſſus; vnus, vel plures; ſic magis, & minus moleſtat.

Signũ ſenſatum. Habemus & alterum ſignum pategnonomicum, quod eſt perpetuę veritatis, & nunquàm decipit. Et id eſt ſpeculatio, quę fit per catheterem, ſeu ſyringam per iter vrinarium in veſicam intromiſſam ad lapidem pertãgendum, de qua inferius dicemus. Hic affectus eſt ex ijs, qui hæreditantur, & habet paroxyſmum: nam quandoq. de mẽſe in menſem, quandoq. de anno in annum reuerti paroxyſmus ſolet, & paruus lapis magis eſt promptus ad retinendum vrinam; quia figitur facilius in meatu vrinario, quàm magnus. *Differẽtia inter lapides veſicæ, et renum.* Lapides veſicæ ad differentiam lapidum renalium sũt maiores, & albiores.

Quæ

Quæ ætas magis ſit calculis obnoxia. Cap. 3.

SOlet infantibus, & pueris magis, quàm ſenibus, & viris lapis in veſica concreſcere; vt omnium doctorum cõſenſu habetur, & ipſa experientia docet. & ratio eſt: quia vrinæ in pueris redduntur craſſiſsimæ tum propter ipſorum edacitatem, tum quia a cibo ludentes, proſilienteſq. mouētur: lactentibus verò & materia ipſa occaſionem præbet. lac enim natura craſſum eſt, & ad calculos creandos aptiſſimum; etiam cibis, vtcunque oblatis, & nociuis vtuntur; neque horam capiendi cibum ſeruant ordinatam; quin etiam prius, quàm prior ſumptus cibus conquoquatur,

Quæ ætas lapidi magis obnoxia.

Lac calculos generare, teſtis eſt Gal multis in locis.

tur, alium ingerant; & cum vehementius a cibo moueantur, crudus, & incoctus in venas diſtribuitur: cuius etiam euentus cauſa a Gal.p. De criſibus. cap. 12. talis aſſignatur; ventriculi operatio non poſſit duobus ſimiliter ſufficere, augendo ſcilicet, & alendo; propterea antequàm in ipſo alimentũ ſufficienter ſit coctum, ipſum ad ſe corpus attrahit; atque hinc fit, vt plurimum crudi humoris coaceruet, actioneſque omnes in eis validæ fiant, & humorum craſſitudo fundatur, atque diſſoluatur. Qua de re cum multus inſitus calor ſit in pueris, & actiones firmæ, materiæ craſſitudo attenuata in renes fertur, atque ideo facile in veſicam percolatur, ibi induratur, & in tophum concreſcit. Solet omnibus

æta-

ætatibus lapis in veſica concreſcere, tamen crebrius pueris, quàm alijs ætatibus. ſecus in adultis: ratio ſe habet: ideo iſtis in renibus; pueris autem in veſica magis. Fœmellis minus, quàm hominibus lapis in veſica generatur, ac retinetur: ſimiliter in renibus propter breuitatem, meatumque amplitudinẽ, quæ in ſexu muliebri eſt. Non negatur tamen, quin omnibus ætatibus, omni ſexui lapis in veſica generari poſſit.

De prædictionibus, & præcognitionibus. Cap. 4.

EXtat Hippocratis Coi iuſiurãdum, ſe calculo laborantes non ſecturum: ſed viris chirurgiæ operarijs eius rei faciendæ locum

daturum, ex quo huiuſce ſectionis habetur antiquitas; cum ab eius vſque tempora, imo antequàm pharmaceutica, & diathetica medicina in vſu foret, vulneraria hęc ars extiterit, vt Celſus, & Homerus decantarunt. Certitudo partis chirurgię in propatulo eſt: ſub ſenſu enim cadit, neceſſitas ex diris affectibus facile demonſtratur, cum ſæpe clamoſa morte pareant ægrotantes, continuoque, dum vitam trahunt, alta voce prædicent, eos potius ſibi ipſis mortem conſciſcere velle, quàm ſic atrociter cruciari. Hinc operatoris elicitur gloria, qui felici ſucceſſu per ſectionem lapidē adimit. Quare pia quadam charitate, ac gloria operatores moti, laborátiumque cruciatibus impulſi ad hoc munus ſubeundum, felici au-

Calculi ſectoria antiquitas, & laus.

Cōditiones requiſitæ ad ſectionem.

ſpi-

ſpicio, ſe ipſos accingant, habito prius maturo diſcurſu, & conſideratis conſiderandis, nempe ætate laborantis, viribus, anni tempore, quod eligendum eſt in vere, vel autumno, in die claro, nec ventoſo, in loco congruo, & ſi patiens pauper fuerit, nec poſt operationem neceſſaria parata habuerit, ſectioni non ſubijciatur; niſi illa prius fuerint ex diuitibus quæſta. Nec operator corrodendæ pecuniæ cupiditate ductus, ſed charitate quadam erga proximum, in quamcunq, etiam domum ingredietur, ob vtilitatem ægrotantium intrabit, nec alia cauſa motus, & ſancte vitam, & artem ſeruabit, ſicq. pro felici ſucceſſu fauet Deus, annuitq. ex quo ſemper honos, noméq. ſuum, laudeſq. manebunt.

Religioſe operatio peragẽda.

Præterea cohortandus æger, vt confeſſus peccata, ſacroſanctam ſumat euchariſtiam, Deoq. preces effundat, ex quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit. Poſtmodum congregatis conſanguineis, de periculo prognoſticandum, prædicendúq. calculo laborantes, nũquàm eſſe in tuto; ſed mortem ſemper habere per properam. ſi enim retinetur lapis, & meatum claudit, ducit ad hydropem, & ad mortem; ſi fiat inciſio, pro calculo eximendo, periculum imminet de conuulſione, de ſanguinis fluxu, de fiſtula, & multoties de morte, Ideo talis patiens, tanquàm cadauer, curandus ſuſcipiatur: nam operatio nedum non eſt tuta, ſed periculis plena, & hinc eſt, quòd bonus ſenex Hip-

Quæ ante operationẽ prædicẽda.

poc-

poc. teſtatum reliquit, calculo laborantes ſe nunquàm ſecturum: tamen impium eſſet ſine auxilio ægrum deſerere; ſed potius omnia tentanda pro illius ſalute, & extremis morbis extrema adhibeantur remedia. Quamobrem coniectãdum primum venit, an lapis ſit magnus, vel paruus. ſi quidem magnus, niſi diligenter educatur, veſicam lędit, quaſſat, & atterit, quod lethale eſſet iuxta Hippoc. ſententiam, aph. 6. aph. 18.

Veſica deſciſſa lethale eſt.

In paruo autem, cum difficulter comprehendatur, & longa expiſcatione indigeat, vt reperiatur; maximum imminet periculum tũ de ſang. hemorrhagia, tum de aere, veſicam ingrediente, ne conuulſionem accerſeat. Sit igitur, qui

hanc

hanc operationem exercere voluerit, expertus, & in arte plures, & optimos magiſtros operari viderit, ac coram illis prima vice, operatus fuerit; vt etiam Gal. pręcipit in De coſtitutione artis medicę, & 3. De facult. naturalibus. & alibi. Inſtrumenta ad hoc congrua parata habeat, nempe nouaculas, raſoria vulgò dicta vtrinq. incidētia, arte fabricata; vt vnica vice locus & incidatur, & cauterizetur: pro qua re diuerſarum formarum parentur: catheteres, ſeu argalia, quas ſyringas vocant, tum ad ſpeculandum idoneas, tum ad inciſionem aptas; ſpecula ad dilatandum, & ſpeculandum, forbices ore dentatas; ſed non in labijs; quæ nunquàm ſe contangant, quas tenaculas dicunt; faſcias, puluillos, petias,

quę, et qualia inſtrumēta parata ſint ad opus exequendum.

tias, & reliqua parata ſint.

Habeat manus expeditas, nec tremulas, cum totum opus manibus conſiſtat. munia enim chirurga hoc expoſcunt, cum tria tantum ſint, & omnia in lapidis ſectione concurrant: nempe continuum ſoluere, ſeu ſeparare; ſuperfluum demere, & vnire diuiſum. ſoluimus continuum, dum ſecamus: remouemus ſuperfluum, dum lapidem extrahimus; vnimus diuiſum, dum vlcus, ſanando, claudimus. ſcire etiam oportet, in qua ætate minus periculoſa reddatur operatio, & in qua magis.

Cōditiones operatoris.

Tria chirurgi munia ad opus cōcurrere.

In hominibus adultis, prædicendum, operationem periculoſam eſſe, eo magis, ſi patiens magnæ corporis molis, & habitus mali fuerit.

Prædictio circa homines adultos.

In fœ-

Prognoſticum in fœminis. In fœminis tutior eſt operatio, ſiquidem aut per collum veſicæ illis lapis extrahitur abſq; ſectione: vel ab extra iuxta vuluarum labium ſectio fit.

Prognoſtici in pueris. In pueris, & puellis minus periculoſa operatio, cum illis digito lapis adinueniatur, nec forbicibus, ſeu tenaculis opus ſit; & facilior in his eſt operatio. quod confirmat Paulus Ægineta lib. 6. cap. 60. vbi ipſe inquit, Si autem accidat, quòd genitus calculus in veſica per chirurgiam curari debeat, pueri vſq. ad 14. annum propter corporum mollitudinem facile curationem recipiunt. Senes autem, cum corpus ipſorum contumax ſit, vix conſaneſcunt: mediæ verò horum ætates etiam in hoc medio quodam modo ſe habent.

Celſus lib. 7. cap. 26.

&rur-

& rurſus ſubdit, Facile ſanantur, qui maiores calculos habent; propterea quòd inflammationibus aſſueuerunt: qui minores, difficulter ſanantur contrarias ob cauſas. Itàq. hæc omnia operator ſcire debet: vt, quæ operationes difficiliores, periculoſæ, ac magis mortales fuerint, prædicere poſſit: eſt enim prudentis hominis, vt recte nos admònet Celſus, primum eum, qui ſeruari non poteſt, non attingere; nec ſubire ſpeciem eius, vt occiſi, quem ſors ipſius perimit; deinde, vbi grauis metus ſine certa tamen deſperatione, eſt indicare neceſſarijs, ideſt familiaribus, & amicis periclitantis, in difficili rem eſſe: ne, ſi ars victa malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. ſed hęc, vt inquit, prudenti viro conueniũt.

Celſi pręcepta aureis litteris cor de cęlãda.

ſic

ſic rurſus hiſtrionis eſt, paruam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur: cum igitur ad actum erit deueniendum, ideſt ad chirurgiã, & vltima experiri, ſtatutum eſt; Interdũ manui cedit doctriana perite. Quare antea per aliquos dies victu corpus præparandum eſt: vt modicos, vt ſalubres cibos, vt minime glutinoſos aſſumat, vt aquam bibat: ambulando verò inter hæc exercitatione vtatur, quò magis calculum ad veſicæ ceruicem deſcendat, vbi eius rei fides eſt: pridie is in ieiunio continendus eſt, & tum loco calido curatio adhibẽda, clyſtere prius iniecto.

De

De curatione lapidis veſicæ per remedia tum intrinſecus ſumpta, tum extrinſecus adhibita. Cap. 5.

CVratio lapidis veſicæ duplex eſt; alia medicinalis, alia manualis: medicinalis curatio tunc venit adminiſtranda, quando morbus eſt in principio, & lapis paruus, frangibilis, & præſertim, ſi nō excedat oliuæ magnitudinem, qui per collum veſicæ emingi, & extuberari poſſit, & ſimiliter in his, qui ſabuloſam vrinam diu minxerint, aut albę arenulę præceſſerint, deinde ſabulum, & arenulæ deſtiterint, ac vrina retinetur: ex quo mingendi difficultas ſequitur. In ſimilib⁹ affectibus ſolet diaphorectica me- *Curatio duplex.*

ca medicina, & illa præſidia; quæ reſerandi poros vim habent, multum proficere; ac etiam, quæ lapides atterunt, & vrinam ciunt, cum per os ſumpta tum per ſiphonem in veſicam iniecta, ſeu ad extra applicata intentionem explent.

Curatio p medicamẽta.

Quare ad id ſcopi curatiui dirigẽdi ſunt, & infraſcripta remedia lõgo tempore veniunt administranda, vt Raſis lib. experimentorum bene inſinuat: at niſi curatiua intentio expleatur, vt vitam redimas, ferrũ patiaris, & ignem, & ſalutifera manuum ope curatio tentanda, vt inferius dicemus. ſed primum de medicinalibus agamus. ex quorum ſunt milium ſolis, ſaxifraſia, cetrache, ſanguis hircinus pręparatus, cortex capparũ, acorum, filipendula, lapis iudaicus, lapis e ſpon-

ſpongijs marinis, lapis lyncis, & multa huiuſmodi ſimplicia, quæ breuitatis cauſa omittam, & aliqua experta compoſita deſcribam, at primum de vſu leporis combuſti, in quo Mauritani, & Græci conueniunt. Aetius leporis pellem in ollulam conijcit in furno deurendam, vt probe conteri poſſit. pulueris exhibet coclearium ieiunis, in ſolij calidæ aquæ inſexu. Auic. lib. 3. fen. 8. tract. 2. cap. 18. exhibet drach. 2. leporis decollati cineris. Arnaldus de Villa noua ex interato lepore inteſtinorum loco ſaxifraſiam, milium ſolis, lapidem iudaicum, lyncis, ſpongiæ lapidem, pentaphylon, & virgã auream addebat, ac in nouo factili comburebat, factoq. puluere ſanare profitebatur omnes. Quidam

Medicamẽtũ ex lepore diuerſimode paratum.

medicus Gallus, Regi inſeruiens, puluerem oſſium crurium leporis dabat; alter puluerem ex renibus propinabat. ex his præparationibus illa Auic. magis mihi fuit in vſu, cum pluries feliciſſimo ſucceſſu expertus fuerim, & lapillos ad oſſis oliuæ magnitudinem extuberaſſe viderim, ſi non prima, ſaltem ſecunda vice: laudo tamen omnes præparationes præfatas, excepta præparatione cum capite, quia inſitam quandam habere creditur cum humana natura antipathiam. Hæc puluis exhibenda venit cum decoctione capillorum V. vel cetrache, aut polytrichi ad vnc. 5. at pul. non traſcendat drach. 2. Raſis 9. ad Almanſ. ad frangendum lapidem, qui in veſica eſt, inquit, Ego quoq. iam fregi cum eo lapidem

Raſis medicamentum.

dem magnum in minori ſpatio, quàm dierum quadraginta. ℞. carpobalſami, ſem. raphani, corticum rad. opoponaci, corticum rad. capparis, amigd. amararum, baccharum lauri, cyperi, ſpicæ indicæ, caſſiæ ligneæ, cetrach, ſem. rutę, gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, aſſari, cordumeni, armoniaci, ſerapini, bdellij, piperis, acori aña. partes æquales; diſſolutis gummis ſufficiēti oleo abietino, malaſſentur, & ex eo aliæ ſpecies aſpergantur, ex quibus informentur pilolę, & ſumatur ex eis drach. 1. cum apozemate de ſeminibus. Vbi verò vigorare placuerit medicamētū, addatur aliquādo ſexta pars ſcrup. 1. cineris ideſt gr. 4. ſcorpionum. Hoc ſciendum, quod loco carpobalſami a quodam magni nominis

medico cubebas ſuſtituendas eſſe cenſetur. Ab Auicenna lib. 3. fen. 19. tract. p. cap. 6. proponitur electuarium de cineribus, cuius deſcriptio ſe habet in hunc modum, videlicet, ℞. cineris vitri, cineris ſcorpionum, cineris rad. caulium, cineris leporis, lapidis ſpongiæ, ſang. hirci præparati, cineris corticis oui, ex quo pullus egreſſus eſt, gummi nucis, acori aña. partes æquales, petroſellini, dauci, pulegij gummi arabici, ſem. altheæ, piperis aña. pug. 1. med. conficiantur omnia cum melle, & exhibeantur. doſis erit drach. 2. med. cum decoctione cicerum nigrorum. vtere audacter, quia validiſſimum eſt medicamentum. Cinis ſcorpionum ſic paratur videlicet ponantur ſcorpiones in olla noua, deinde

Auicēnę remedium.

os ob-

os obturetur, ne ſcorpiones exeãt, & in furno calido ponatur, in quo non ſit extremus calor, & ibi permaneat ſpatio ſex horarum, deinde puluerizentur ad uſum, vt dictum fuit. Hoc vnum mente tenendum, quòd, ſeruatis ſeruandis, hæc ordinentur medicamẽta. Antequàm dictum antidotũ exhibeatur, præmiſſa totius corporis euacuatione, fiat inſexus infraſcriptus quaſi per horam, videlicet ℞. florum camo. mellıloti, aneti helxinis, maluarum, branchæ vrſinæ, altheę, furfuris aña. pug. 2. foliorum agni caſti, capillorum V, tad. brionię, roſ. rub. ſiccarũ, abſynthij aña. pug. 1. decoquantur in aquę communis partibus duabus, vini optimi ad corroborandam partem, vnam pro inſexione, & poſt egreſſum ſtatim *Inſexus.*

aſſumat ex antidotis ſupradictis vnum, vel alterum, & applicetur ſupra veſicæ regionem emplaſtrum, quod ſequitur videlicet ℞. oleorũ de ſpica, de camum. anetini aña. drach. 6. de ſcorpionibus drach. 3. picis, amoniaci, bdellij in aceto diſſolutorum aña. vnc. med. olibani drach. 3. euphorbij drach. 1. fiat vnguẽtum, calidum ſupra pubem ponatur. Habenda ingens cura, ne alui excrementa retineantur, quod curabis potu, olei amigd. dul. nuper extracti, enhęmatis, & alijs eiuſdẽ generis: curatio perficit quinquaginta, vel ſexaginta dierũ ſpatio, & ad minus per 40. dies exhibenda ſunt, quę lapidem frangunt. Quidam religioſus prędicabat hoc remedium, aſſerens pluries ab ipſo expertum, videlicet ℞.

Emplaſtrũ mirum.

Huius religioſi remediũ eſt de facili parabile, et proficuum.

aquę

aquę vitę vnc. med. iuris cicerum rub. vnc. 2. millepedum drach. 5. miſce, & vtatur per multos dies. Aliud optimum remedium, videlicet fructuum alchechegni contuſorum vnc. 3. baccharum hederæ vnc. 1. attritarum, radicis œnonis ideſt bonachæ pul. drach. 10. vini albi clariſſimi lib. 1. infundantur per 24. horas iuxta ignem, vt continuò tepeſcant, colentur, & capiat per tres vices vnc. 6. pro V. hora ſy. deinde reiterentur, donec fuerit opus. Gal. octauo pharmacorum commendauit creſſones, qui vrinam ciunt, & vim habent diaphorecticam, & veſicæ lapidem attritiuam. Vnum notandũ, quod quæ veſicæ calculis competunt, etiã renibus cõpetũt. In hoc dũtaxàt differunt, quòd Veſica validiora ex-

ra expoſcit remedia renibus.

Tralliani remed. Alexand. Trallianus lib. 9. cap. 7. comprobatum commendauit remedium, quod eſt ſang. caprillus impoſitus ſuper veſicæ regionem pluries.

Pauli, & Aetij paſſerculus. Paulus, & Aetius propoſuerunt paſſerculum troglytem, qui minimus eſt, iuxta ſæpes, & muros victum quæritans, vt apud illos videre eſt. hic ſale conditus, & crudus, in cibo acceptus calculos per vrinam expellit.

Serapionis pul. Serapio dictitauit aliud, videlicet, ℞. ſeminis melonum mundatorum, milij ſolis, dauci, vitri combuſti aña. vnc. 2. redigātur in pollinem ſubtiliſſimum, & exhibeantur de ea drach. 3. pro vice cum decocto cicerum rubeorum.

Hæc omnia, vt methodicè parentren-

rentur, ac adminiſtrentur, has cõditiones habere debent, videlicet, vt medicamenta componantur ex ſimplicibus lapidem frangentibus, vel hoc fiat totius ſubſtantiæ proprietate, vt facit lapis iudaicus, & admirabilis cincindella quædã ſua proprietate, vt vitrum combuſtum miliũ ſolis, & c. quædam attenuãdo, & incidendo, vt ſuccus limonũ, rad. œnonis, aſplenij, rubi radix, & cætera huiuſmodi. Vt hæc autem medicamenta deducantur ad locum affectum, diureticis erunt permiſcenda, ac glutinoſis, vt diutius in loco remorentur. Quantitas debita exhibeatur, & diu reiterentur. Poſtrema conditio erit, vt cum illis admiſceãtur corroborantia locum affectum, qui vſum ſatis vtilem toto corpori habet.

Quare

Quare ex his compoſitis, quæ habent tales conditiones, dicentur optima. Modo reliquum eſt proponere nonnulla, quæ per ſiphonem, ſeu ſyringam iniiciantur, & totius ſubſtantiæ proprietate lapidem frangant, dimiſſis incidentibus, & attenuantibus, & quæ ſua proprietate id præſtant: quoniam illæ veſicam lædere poſſent. Quapropter ad hęc infraſcripta deſcendendum, videlicet.

Quæ intro veſicã per ſiphonẽ imponẽda.

℞. aquæ hordei vnc. 6. rodomellis vnc. 1. m. & intromittatur, vel ℞. lapidis iudaici pul. drach. 1. ſaxifragiæ decocti lib. med. m. imponantur. Quæ per os aſſumenda ſuperius ordinata fuerunt. Poterunt in neceſſitate ſimiliter inquiri per ſyringam intra veſicam.

Iam dicamus de dolore, qui a lapi-

lapide gignitur, dum in veſicæ ceruicem figitur, & ſua aſperitate locum pungit. Dolor ille balneo aquæ dulcis demulcendus iniectioneq. lactis mulierum, caprini, ſeu aſinini, vel cremore tipſanæ, aut oleo amigd. dul. & huiuſmodi.

Cum lapis in collo veſicę figitur quomodo extuberãdus dolorq. demulcendus eſt.

Si vrina fuerit ſuppreſſa, tunc, eleuatis cruribus, ęger violẽter hinc inde moueatur, agiteturq. quinimo vrgente neceſſitatę pedibus etiam ſuſpendendus, vt lapis in veſicæ cauitatem prerumpat: ſin hęc non ſufficiant, deueniatur ad ſyringam, quæ in veſicæ cauitatem impellatur. Cum autem cætera vana fuerint, ad inciſionem properandũ: vt vrina profluat. De qua inciſione ſic loquutus eſt Auic. Raſis auctoritate. Et quando vrinæ adfuerit difficultas, & cauſa la-

pidis veſicæ retineatur, & non eſt ſemita ad ſcindendum propter aliquid, quod prohibeat, aut propter timorem; tunc de hominibus eſt aliquis, qui ignениatur, & in eo, qui eſt inter anum, & teſticulos ſciſſuram efficit paruam, & ponit in ea cãnulam, vt egrediatur ex ea vrina, & remoueatur mors, quàmuis vita non ſit tranquilla; & cum non proſperant medicinæ, & voluerís ſcindere, oportet, vt eligas ſciſſioni illum, qui cognoſcit anatomiam veſicæ, & cognoſcit locũ colli eius, cui continuantur vaſa ſpermatica; & cognoſcit locum arteriæ, & locum carnoſum veſicæ: & caueat illud, quod oportet ipsũ cauere. Quare non accidit nocumentum in generatione, aut fluxus ſanguinis, aut fiſtula, quæ non con-

conſolidatur, &c. Hæc ſunt formalia verba principis Auicennæ.

De Modo prouocandi vrinam ſuppreſſam, & de arte mingendi cum inſtrumentis. Cap. 6.

HAbito ſermone de his, quæ lapidem frangunt, & per vrinam educunt: nunc de modo ciendi denegatam vrinam dicẽdum erit: ſupprimitur interdum vrina, diuq. detinetur. Vnde veſicam inflammari contingit, & hominem quandoq. mori. Quare primò ſciendi erit ſuppreſſionis cauſa: quæ ſecundum Galenum eſt triplex, vel enim iter obſtruitur a calculo, aut a ſanguinis grumo, vel a Caruncula, in meatu vrinario innata: adda-

De locis affectis. l. p. c. p. tribus modis vrina ſupprimitur.

tur interdum contingere, quia iter collapſum, ac deuaſtatum eſt: nonnunquàm exitus impeditur a ſtrãguria, aliquando a dyſuria propter veſicæ imbecillitatem contractam ex frigida intemperie; ac aliàs propter humores pituitoſos, craſſoſq; veſicæ ceruicem obſtruentes interdum ab iſchuria, & eſt totalis vrinæ ſuppreſſio, ac cohibitio.

Indicatio curatiua ſumitur a cauſa morbi.

Curandi ratio pro cauſarum diuerſitate variatur. Si enim propter veſicę imbecillitatem vrina ſupprimatur, calorificis ſuccurrendum, & intemperies frigida, quæ veſicæ actionem deiecit, omnino amouẽda erit: ſi autem a craſſis, lentiſq. humoribus vrina conculcetur, calefacientibus, ac incidentibus remedijs prouocetur. At Hippocrates duobus ſolis medijs curari do-

cer,

cet, vini ſcilicet potione, & venæ ſectione, inquiens lib. 7. aphoriſmo quinquageſimo, vrinæ ſtillicidium, & mingendi difficultaté vini potio, & venæ ſectio ſoluit: incidit autem interiores. In cura regulari ſemper vniuerſalia præmittenda ſunt, corpus a ſuperuacuis humoribus euacuando tum per venę ſectionem, tum per pharmaciam, quandocunq. dentur indutiæ. Sed quoniam in ſuppreſſione cogimur, omni mora poſtpoſita, vrinam euacuare, ne veſica inflammetur; euacuabitur remouendo cauſam, & intemperiem frigidam tum per medicamenta localia, tum per remedia per os aſſumpta. Quamobrem ℞. cancri herinacei terreni exſiccati drach. 1. exhibeantur cum vino albo. valet

Cancri herinacei, ideſt porcelletti di S. Antonio, vulgò dicti.

L Dia-

Diacalamentum, Dialacca, Diacurcuma, vel Theriaca, quodlibet per ſe ad drach. 1. cum vino albo potatũ. vel ℞. camomillæ, abrotani, betonicæ, rutę, artemiſiæ, calamenti, ſabinę aña m. 1. fiat ſacculus pro fomento. item ℞. olei ſcorpionum nardini, liliorum alborum aña. vnc. med. ſagapeni, bdellij, opoponacis aña. ſcrup. 2. pinguedinis anſeris annatis aña. drach. 1. rad. helenij ſcrup. 2. pulegij, calamenti vtriuſq. drach. med. diſſolutis gummis in aceto, vel vino q. ſ. fiat vnguentum cum cęra; vel inijciatur per ſiphonẽ oleũ amigd. d. de ſcorpionibus, de lilio ad calefaciendam partem, & viſciditatem lubricandam, vel ęger ingrediatur balneum, in hunc modum paratum. ℞. parietariæ creſſonum,

appii,

appij, maluarum, violarũ, camom. adianthi, cetrach aña m. 3. fænugręci, ſem. aneſi, ſem. appii aña m. 2. bulliant in ſufficienti quantitate aquę pro balneo, ſeu inſeſſu. Si propter obtuſum veſicę ſenſum ſupprimatur vrina, excitare illius actionẽ expedit tum per dicta remedia, tum per impoſitionem viui cimicis, vel pediculi in orificio glãdis impoſiti, qui excretoriam veſicę facultatem irritent: inquit enim Gal. lib. p. de locis affectis. cap. p. quòd ęger ſic ſit figurandus, vt decliuis ſit ceruicis veſicę poſitus; ac manibus ſupra pubem admotis, vrina ſenſim comprimendo expellatur, educaturq. eodem modo procedendum, cum in ſanis ob negociorũ importunitatem vrina diutius fuerit retenta, ac veſica exten-

Cimicis, vel pediculi in canali impoſiti virtutem irritãt expulſiuã.

ta, imbecilliſq. facta fuerit. At ſi vrina ſupprimatur a lapide grumo, vel caruncula, prouocanda erit, vt ſuperiori capitulo dictum fuit, vel deueniatur ad vſum catheteris.

Verum interdum prædicta omnia fruſtratoria, vanaq. ſunt. & ad tutum, certumq. remedium confugiendum eſt, nempe ad chirurgiã docta manu adminiſtratam: qua tutò vrina cietur, ſi in veſica reperiatur: contingit enim aliquando propter aliquod obſtaculũ, quòd vrina non ingrediatur veſicam, ſed regurgitet, & in abdominis tranſcolet cauitatem, hydropemq. pareat, vt aliquando vidi. Proponamus modo veſicam vrinæ plenam, & doceamus modum, quo tutò vrina retenta educatur: verum primo catheteres, argalia, ſyringę,

Syringa tuto ſemper, ſi vrina adſit, educitur.

vulgò

vulgò dictæ, præparandæ ſunt diuerſarum formarum, vt omnibus ætatibus,& vtriq. ſexui competāt. Quarum maior debet eſſe longitudinis quindecim digitorum: minor nouem digitorum; media verò duodecim. In fœminis autem nouem digitorum, & ſeptem ſufficiunt,& parum curuæ eſſe debent: nam iter vrinę ferè rectum eſt. In viris autem curuæ ad inſtar ſ Romanæ litterę, vt in anatome veſicę dictum fuit. Hęc inſtrumēta nō debent eſſe aſpera, ſed lenia, parua, hinc inde perforata, non autem in cuſpide, diligēterq. fabricata ex argento, vel auro: ſituetur patiens erectus ſtans, qui aliquo loco commodo adhęreat, vel ab aliquo retrorſum cōplectatur, ſuſtineaturq. Medicus tunc ſiniſtra manu colem

Longitudo ſyringarū diuerſa.

cõtineat, dextera autem ſyringam, oleo amigdalarum dul. linitam, in vrinarium meatum intromittat, leuiter impingendo, donec in vacuum veſicę deuentum fuerit: nam illicò exibit vrina. Vnum notandum, quòd ſyringa duobus modis intromitti ſolet: vno modo, vt ſyringę curuitas ſemper ſurſum reſpiciat, neq. voluatur: & hic modus videtur minus lædere vrinariam fiſtulam, & anatomiæ gnaris magis commendatur. Alter vero modus erit, vt curuitas deorſum in ingreſſu impellatur, donec ad podicem perueniat: deinde leuiter, & leniter voluatur ſurſum. Aeger tunc parumper caput, dorſum inclinet, tuncq. medicus impingẽdo in veſicæ cauitatem intromittat: & hic modus experientia doctus magis

Modus intromittẽdi ſyringam.

mihi

mihi probatur, ac omnibus practicantibus eſt in vſu.

In fœminis facilius catheter immitti ſolet: nam iter breuius, & magis rectum habent inter ima vuluarum ora ſuper naturale poſitum. ſeruetur ordo, & modus prędictus vbicunq. talis operatio adminiſtrari expedit. Tuta equidem eſt, preſertim, ſi ab experto, & diligenti artifice fuerit adminiſtrata.

De Ardore vrinæ. Cap. 7.

Ex aſpero lapillo ab humore colerico aduſto, & bauracchino a frequentiq. ſyringę vſu ab inexperto artifice adminiſtratę, collum veſicæ excoriari interdum contingit: vt incenſiuus ſequatur ardor, ac dolor ingens cruciet ægro- *Excoriationis cauſę.*

grotantem : nam ex dictis cauſis æpidermide, cuticula excoriata ex vrinę ſtillicidio, crebraq. mictione, tranſiens vrina per loca ſenſibilia, alioquin neruoſa, tanquàm mordax querulas lamentationes, altaq. ſuſpiria infirmum moleſtans excitat. Quare, vt dolori ſuccurramus, tribus medijs procedere debemus ſecundum veram methodum: vel enim cauſam remouere; vel dolorem demulcere per anodina remedia, aut in curá coacta ad narcotica deſcendere.

Dolor tribus modis remouetur.

At exiſtente calculo, qui eſt cauſa, ſine qua non, nec vlcus, nec dolor curari poteſt: vitium de facili reuertetur. Ideo duntaxàt de demulcentibus dolorem faciemus ſermonem, & vrgente neceſſitate ad narcotica deſcendere

dere

derelicebit. Quamobrem ℞. maluarum, violarum, lactucæ, blitis, plantaginis aña. m. 1. bulliant in aqua hordei, colĕtur, colaturę: addatur olei violati, roſati, addito vitello oui pro clyſtere. Fiat etiam linimentum ab extremitate virgę ad anum infra teſtes cum infrigidante Galeni, vel vnguento populeon, vel oleo de alchechegni, oleo de papauere, aut violato: aut fiat inſeſſus hoc decocto, videlicet ℞. plantag. roſ. rub, lactucæ, foliorũ violarum, foliorum ſalicũ, alchechegni, parietariæ, florum camomillæ, melliloti aña. m. 2. capitum papauerum alborum, bulliant in aqua pro vſu. Fomentum ex lacte tepido nuper ex vberibus emulcto, vel parato fomento ex decocto dicto, per fiſtulam verò vrinariã inij-

ciatur cum ſiphone, ſeu ſyringa lac humanum, vel caprillum; vel oui albumen conquaſſatum, & in aquam conuerſum, vel elixentur oua, & mundentur: deinde comprimantur fortiter, & per experſionem aqua extrahatur: quę aqua, ſi ex ſolis albuminibus ouorum extrahatur, magis refrigerabit. vel ℞. ſief albi ſine opio drachm. 3. camphorę drach. med. aquę plantaginis vnc. 6. aut ℞. hordei mundi m. med. decoquatur hordeum ad crepaturam, & in decocto bulliant lumbrici terreſtres n. 25. iterum colentur, & in qualibet vncia colaturæ addatur drach. med. ſief albi cum opio. uel ℞. hordei mundi m. 1. paſſularum mundatarum, liquiritiæ raſæ, ſeminis alchechegni, ſem. communium, ſem. la-

ctucę,

ctucę, endiuię, portulacę, plantag. aña. drach. 1. contundantur aliquatulum, lumbricorum lotorum m. med. iy. de duabus radicibus, unc. 2. bulliant omnia in aqua pluuiali, quantum ſufficit, donec redeant ad libram unam: colentur, & hęc colatura tepida intra ueſicam imponatur.

Modus intromittendi erit, ut cum ſiphone inijciatur, aut impoſita ſyringa, quę pertingat affectũ locum, in illius extremitate ſiphon adaptetur, & decoctum prędictum intro ueſicam impellatur. Poterit in extremitate ſyringę accommodari ueſica ſuilla dicto decocto plena, & per expreſſionem in ueſicam decoctum impelli taliter, ut ex ueſica lotio imponatur in ueſicam. Obſeruaui etiã, caſſię uſum plurimum

mum prodeſſe. Sed exhibitio granorum ſebeſten ad numerum decem pro uice, infuſorum in aqua ſolatri mirificè prodeſt. Parantur hoc modo, ℞. granorum ſebeſten n. 10. infundantur in aqua ſtillatitia, ſemperuiui, vel ſolatri, & ieiuno ſtomacho patienti exhibeantur; ſuperbibat illicò cocleare dictę infuſionis, quę ſtupefaciendo ſenſum, dolorem lenit: repetatur, pro vt neceſſitas cogit.

De Caruncula in collo veſicæ genita *Cap.* 8.

INter cætera obſtacula, quæ veſicę acceſſum, & fiſtulæ vrinariæ iter obſtruunt, vt nedum vrina retineatur, ſed lapidem per ſyringam attingere inhibeatur; eſt caruncu-

la in

la in collo veſicæ orta. Quare de ipſa non eſt prætermittendus ſermo. Sciendum eſt igitur, carunculam morbum eſſe malę compoſitionis, ex præcedenti continua ſolutione, carne incrementum ſuſcipiente, ac vrinarium iter claudente, vrinamq. ſupprimente: cuius cauſa vel eſt interna, vel externa: interna cauſa fit, aut ex arenoſo, vel calculoſo, aut ſabuloſo defluxu, vel ex alio acri humore fiſtulam erodente, aut ex gallica lue; ſed præcipue ex gonorrhœa, veſicæ ceruicem ſcoriante, & aliquando totam fiſtulam exulcerante. Ex qua fit, vt caruncula in meatu adaucta vrinæ iter facile impediat: vidimus etenim ad præcedentem gonorrhęam vt plurimum ſubſequi carunculam; & ſi alijs de cauſis con- *Cauſę carunculę.*

tin-

tingere valeat: cauſa externa erit intromiſſio ſyringæ, vel alterius inſtrumenti ab inexperto, & incurioſo artifice vi impulſi; aut ex vulnere.

Specillum ſignum eſt demoſtratiuum.

Signa, ſeu notæ innatę carunculę ſunt vrina tortuosè micta, & aliquando bifurcata, ſeu bipartita, longeq. tenuior ſolito, ac guctatim effluens: ſed illud prę cęteris pategnonomicum inditium eſt, catheteris immiſſio, ſpecilli, candelæ, vel alterius inſtrumenti, quibus a caruncula impeditur tranſitus.

Expiatio corporis a ſuperuacuis humoribus rationi cōſonū eſt.

Cognita ergo ex prædictis ſignis caruncula, ad illius curationē deueniendum erit: quam tutius aſſequi potuerimus, in plethoricis, vel cacochimis corporibus, ſi ea a ſuperuacuis humoribus euacuabimus: poſtmodum ad partem affe-

ctam

ctam deuenerimus: & primo, infraſcripto decocto ad partem affectam applicato, locum rarefaciemus, ac relaxabimus, extrinſecus pluries illud replicando, videlicet. ℞. fænugreci. ſem. lini aña. m. med. radicũ altheæ minutatim inciſæ vnc. 3. florum camomillæ m. 1. bulliant in hydreleo, vel brodio caſtrati pro fomento cum ſpongijs: vel fiat inſeſſus cum decocto maluarum, violarum, ſem. lini, fęnugręci, radicum altheæ, corticũ radicum vlmi, radicum cucumeris aſinini, florum camom. melliloti, roſarum rubearum aña. m. 1. bulliant in aqua pluuiali pro fomento, vt dictum eſt: facto fomento, vel inſeſſu liniatur locus oleo amigdalarum dulcium, pinguedine pulli, vel anſeris: parte ſic diſpoſita,

pare-

paretur candela ex quattuor filis ſubtilioribus, ex cæra alba fabricata ad palmi longitudinem cum dimidio, ſubtilis, & æqualis a ſeplaſiario curioſo, in cuius extremitate apponatur, ac diligenter concinnetur hoc medicamentum, videlicet. ℞. cerati de ceruſſa vnc. med. aluminis rocchæ aduſti, ac in ſubtiliſſimum puluerē redacti drach. 1. m. & incorporentur pro vſu cum candela: vel ℞. lactis fici in ſole condenſati, ſalis gemmę, aluminis cōbuſti aña drach. 1. cerati de minio vnc. 1. addita gutta terebenthinæ, vel raſinæ: fiat magdaleō ad vſum. aut ℞. præcipitati optimi aqua ardente irrorati, & combuſti per decem vices, drach. 2. cerati de muccilaginibus vnc. 1. miſce, & ſeruetur ad vſum. Competit ſquama

Cādelę arte curioſa parādę sūt.

Plures curauimus p̄cipitato hoc modo parato.

ęris aduſta, vel oleum de chalchanto, in vmbra exſiccatũ, ac puluerizatũ, & cum cęrato de cęruſſa mixtũ, vel capitellum Ioannis de Vigo, vel trochiſcus de minio eiuſdẽ Ioannis ad hunc vſum valide præſtãt. Quare iſta cautè, ac diligẽter a prudenti artifice adminiſtranda ſunt, reſpiciendo ſemper vires medicamenti, patriſq. pręſtantiam, hac cautela adhibita, vt medicamenta hęc redigantur in forma ſolidiori, ac tenaciori, & bene adhęrenti, ne per iter deficiant: nam hęc omnia, carunculam erodendo, eradicant. Sunt & alia remedia, quæ putrefaciendo carunculam remouent; quædam aliqua emoliendo, atq. exſiccando id pręſtant: ſemen maluarum, vel altheæ in puluerem redactum, & cum cærato diachi-

lon cum gummis incorporatum optimè, ac leniter operatur; pul. ſauinæ cũ cęrato de muccilaginibus incorporatus ab experto commendatur. Hęc duo conferunt in leuioribus affectibus, & poſt carunculę remotionem ad inducendam cicatricem, ſicut inferius dicetur: ſi prędicta remedia non ſufficiãt, deueniatur ad uſum ſyringę, vel ſpecilli argentei, quod habeat acumen in vtraq. parte obtuſum, craſſius in vna parte, in altera ſubtilius. Incipiatur a ſubtiliori parte, leuiter impellendo pro carunculę perforatione: deinde a parte craſſiori ſpecillum leuiter impellatur: poſtmodum ſupradictis medicamentibus, vt ſupra, applicatis, perſeuerando, iter aperiatur, donec vrina libere profluat: facta hac a-

pertione, ac carunculæ remotione præcauendum; ac prouidendum erit reliquum, vt vitium non facile reuertatur: nam pauco temporis interuallo caruncula repullulare ſolet. nec hactenus adinueni, quẽquã perfecte curatum, & tota difficultas, iudicio meo, eſt, ne iterum incurratur in recidiuam. Quare ad infraſcripta remedia recurrendum erit, videlicet ℞. plumbi vſti, tutiæ præparatę, boli fini, ſauinæ in vmbra exſiccatæ aña. drach. 3. ſief albi ſine opio, cornu cerui uſti aña. unc. med. cęrę albę lib. 1. med. raſinę pini unc. 1. puluerizẽtur puluerizanda ſubtiliter, & ad ignem incorporentur, & cum cordonibus teſtudinis, ideſt leuci, parentur cãdelæ; qui cordones infundantur prius per noctem in aqua ardenti,

Difficillimũ eſt, vt vitium non facili reuertatur.

Candela ad inducendũ callum, vt vitium nõ reuertatur.

deinde exſiccentur, & parentur cã-
delæ S. A. & imponantur. vel ℞.
plumbi uſti, antimonij, corallorũ
rubeorum, alborum, oſſis ſepiæ
aña. drach. 3. cum cæra alba, &
oleo abietino fiant candelæ S. A. cũ
quattuor filis: cum autem illis vti
volueris, imponantur per noctem
in aqua ardenti: vel paretur ſpecil-
lum ad modum ſyringæ ex vncijs
duabus plumbi, & drach. 2. mer-
curij, & continuò ad quadrageſi-
mam diem apponantur per totam
noctem in fiſtula vrinaria, donec
perfectè fuerit inducta cicatrix, ac
callus: ſi autem hęc non ſufficiant,
tranſeundum erit ad actuale cau-
terium hoc modo, ſcilicet, impo-
natur ſyringa in fiſtula vrinaria, vt
pertingat caruncułam, & vbi in-
uenit reſiſtentiam calloſam, duri-

Specillum ex plumbo & mercurio proficuum eſt.

Cęteris irritis ad actuale cauteriũ cõfugiendum.

tiem,

tiem, ſeu carunculam, ibi in parte inferiori fiat inciſio cũ ferro ignito, vel non ignito, donec caruncula in coſpectum appareat; quę radicitus candenti ferro remoueatur, aduraturq. euitãdo ſuturam, quãtum fieri poteſt, ſemen appellatam. Ablata caruncula, imponatur intrinſecus butyrum ad remouendam eſcharam a cauterio inductam: extrinſecus autem imponatur oui albumen, & vitellum cũ oleo roſaceo quaſſatum. Mundificato vlcere, incarnetur, ac cicatrizetur cum ſupradictis epuloticis, hac adhibita cautela, vt intrinſecus deferatur cõtinuè candela arte parata, vel ſpecillum ex plumbo, & mercurio, donec fuerit inducta cicatrix, & obduruerit callus ad intra.

De curatione lapidis per manualem operationem. Cap. 9.

MEdicinæ lumen, ſenior ille Hippocrates in eius iuſiurandum teſtatum reliquit; calculo laborantes ſe nunquàm ſecturum. Quare factum eſt, ut priſci ſapientes in hoc, veluti in reliquis, illum ſequuti de ſectione in adultis pro lapidis tranſpoſitione nullam fecerint mentionem, & de puerorũ curatione per ſectionẽ meminerint.

Quibus ſectio ſit magis tuta.

Nam Cornelius Celſus libro ſeptimo. cap. 26. inquit. Pueris calculus extrahendus eſt vſq. ad annum nonum. Paulus Æginera vſq. ad annum decimumquartum; reddens rationem, quia propter corporis mollitudinem facile curatio-

nem

nem recipiant. ſenes verò, quòd corpus ipſorum contumax ſit, vix conſaneſcunt: mediæ horum ætates etiam in hoc medio quodam modo ſe habent; ac rurſus facile ſanantur, qui maiores calculos habent: quia inflammationibus aſſueuerunt. At nos, qui plures curatos per hanc ſectionem vidimus, annum ſexageſimum excedentes vtriuſq. ſexus, feliciq. ſucceſſu, infraſcriptam ſectionẽ medicis, atq. ægrotantibus commendamus, vt, cum cętera vana fuerint, qui taliter ſunt affecti, ferrum patiantur, & ignem: extremis etenim morbis extrema remedia optima ſunt. Ne igitur clamoſa morte pauperes ægrotantes moriantur, felici manuũ operationi ſe ſubmittant. nam hoc medio multos priſtinæ ſanitati reſtitu- *Auctoris cõſilium.*

ſtitutos vidimus, qui poſtmodum vixerunt longo tempore vitæ læti. Sed præcauendum, ne temere Artifex ad hoc arduum opus accedat, niſi ęgrotantis corpus diligenter expiatum fuerit, atq. patientis animum conſulat: qui enim humorum copia, ac multitudine abundant, facilè in inflammationem incidunt: qui nimium timidi, in ſyncopim ex ſectione cadunt. Quare non omnes ſecãdi ſunt. Præterea, quia arduam hanc exequuturus eſt actionem, artem ſecandi corpora calleat, quam Anatomen Græci vocant. Nam turpis eſt certe, ac deteſtanda noſtri temporis cõſuetudo, vt homines rudes ad hoc perdifficile artificium admittãtur. Non ſic præceperunt antiquiores noſtri, cum omnes vno ore admo-
neant,

neant, artificem oportere diligentem habere notitiam anatomes, vt refert Auicenna, Paulus, & Aetius.

Quamobrem ſic ægrotantes & ratione, & exemplis hortandi ſunt, vt coſtanti animo ſe ſubmittant felici operationi, quæ vitam reddit languentibus. Notandum ſemper, vt ante operationem prædicatur conſanguineis, & affinibus ægrotantis, ſpem eſſe in anguſto, & tanquàm cadauer illius corpus ſuſcipiendum: vt ſi fortè fortuna decederet, ne ignoraſſe, vel fefelliſſe Artifex videatur. Duo quidem ſuper eminent pericula, sāguinis inquam hęmorrhagia, atq. conuulſio. His præmiſſis, clyſtere corpus euacuandum eſt, demum iubendum eſt ægrotanti, vt ſaltitet bis, teruè ex aliquo ſcabello, ſcāno

altio-

altioriq. loco, vel ſcalas deſcendat: & illicò, Chriſti nomine inuocato, cui honor, & gloria ſit ſemper; ſedeat homo magnus, ac cordatus in forti, atq. altiori ſedili, & æger ante illius coxas, auerſuſq. conſideat; ſub nates puluinar concinnè aptatum habeat; retractiſq. cruribus, & pedibus, manus cum pedibus bene colligentur. coxæ autem a miniſtris hinc inde aperiantur, vt pecten, & pudenda bene in conſpectum appareant, illicò cum altera faſcia ſupra humeros continentis viri appoſita, cum illius extremitatibus ęgrotantis manus, & pedes nouiter deligentur: vt ſuſpenſus ferè permaneat. ſic enim parabitur ſinus ſine rugis extentus, veſicaq. in anguſto compelletur, vt facilius ſuccedat operatio. Sunt quidam, qui

Quomodò ſituandus æger in opere.

qui ægrotantem ſic deligant ſupra ſcalam: ſed quia horribilis eſt nimis, de ea nullum verbum. Sic adaptato patiente, intromittatur ſyringa per virgam ad lapidem vſq. quæ ſyringa in parte conuexa, & gibba adaperta, & rimulata ſit ad longitudinem ſemipalmi: vt inciſio vſq. ad hanc rimulam tutò fieri poſſit. Adapertis coxis a miniſtris, eleuatiſq. teſtibus; ſignetur locus in extremitate natis ſiniſtræ inter teſtes, & anum, euitando ſemen, collum veſicæ ſupra ſyringæ rimulam, cũ raſorio optime ignito fiat ſimul, & ſemel inciſio, & cauterizatio: vt ſyringa oculis cõſpiciatur reiteretur cauterizatio, ſi opus ſit, vt apertio ſit tantæ longitudinis, vt calculus commodè eximi poſſit. Tunc ab hęmorrhagia tuto, impona-

ponatur digitus index, collum ve-ſicæ dilatando, donec in vacuum veſicæ peruentum fuerit, ac digito lapis pertangatur. Quod ni fieri poſſit, cum inſtrumento dilatante id concinnè machinetur. Orificio bene adaperto, lapideq. reperto intromittatur tenacula ad hunc vſum parata, & leniter ſemel, & bis aperiatur, donec lapis comprehendatur; & apprehenſus foras educatur. Pro qua re pertractanda inſtrumenta diuerſimode parata prꝙſto eſſe debent, vt ſuperioribus cap. diximus, ſuturam non lædendo, vt dictum eſt: nam in ea, vt inquit Auicēna lib. 3. fen. 19. tract. p. eſt locus mortalis, nec veſica lædenda. Nam inquit Celſus lib. quincto. cap. 26. læſa veſica, neruorum diſtenſiones ſequuntur, in-

Sig. veſicę læſa.

guina

guina dolent, quod ſuper pubem eſt, intenditur, pro vrina ſanguis redditur, ſtomachus afficitur, atq. aut bilem euomunt, aut ſingultiunt, frigus, & ex eo mors ſequitur. Notandum in eductione lapidis, quòd, ſi oblongus fuerit calculus, compellatur, vt pronus exeat: ſi planus, tranſuerſus: ſi quadratus, ut duobus angulis ſedeat: ſi altera parte planior ſit, vt prior illa, quæ tenuior eſt, euadat, in rotundo ex ipſa figura nihil inter ſe patet: ſi valde magnus, vt integre extrahi nequeat, conſtringatur tenaculis fortiter, vt frangatur, & fractus in fruſtulis educatur, fruſtula parua cocleari inſtrumento ad id parato colligantur, & veſica optime mundetur: ſi lapis aſper, atq. ſpinoſus fuerit, leniter educatur, ne veſi-

Forma lapidis ſpectanda.

Sig. lapidis ſpinoſi, vel magni.

veſi-

veſicam atterat, atq. dilaniet, aſperum eſſe, & fuiſſe ex cruenta vrinæ deſtillatione colligitur. Magnum verò ex temporis diuturnitate, &c. Et hæc erit vera, breuis, & tutior methodus, ac via compendioſa ad ſalutẽ, cũ cætera vana fuerint, tum viris, tũ mulieribus. Vnũ in mulieribus notandum, quæ Venerem ſunt expertę, vt digitus per naturalia immittatur, & inciſio fiat inter meatum vrinarium, & os pubis taliter, vt inciſio ſit aliquantulum tranſuerſa, præſertim ſi lapis fuerit magnus: quoniam, ſi paruus, educi poterit per ipſummet vrinarium iter, illud dilatando accommodatis inſtrumentis. Poteſt & virginibus, digito in naturale impoſito, lapis ſpeculari, ac educi ad locum pro remotione. Quare,

Notandũ.

vrgente neceſſitate, fiat, vt in mu-
liere dictum eſt: nec de ſanguinis
hęmorrhagia timendum eſt, quia
mulier plurimo abũdat ſanguine:
ſi autem calculus fuerit paruus, &
cole deciderit, vrinam obſtruens, *Mulier plurimo abũdat ſãg.*
doloremq; pariens, nec educi poſ-
ſit; hoc pacto remoueatur, videli-
cet Deligetur membrum in parte
ſuperiori, ac inferiori ſic, vt lapis *Si calcul⁹ coli inciderit, quomodo eximẽdus.*
obſtruens ſit in medio inter vtrũq.
ligamen. Tunc ſupra ipſum lapi-
dem inciſio fiat, vt in coſpectum
appareat; remoueatur, ſanguisq.
concretus abſtergatur, atq; mun-
detur. Deniq. vniatur vulnus, &
ſi opus fuerit, ſuperficietenus ſua-
tur, ouiq. albumine, ac rubro pul-
uere ad inuicem mixtis emplaſtre-
tur. Deniq. per viam primæ, vel
ſecundę intentionis vniatur, prout *Quomodo unio tẽtãda.*
com-

commodius, tutius, & citius fieri expedit. Quieſcat in lecto, & a tutunda ſemper cauendum, ne fiſtula remaneret, vrinaq. inde continuò flueret. Practicantes ligando coxas ad inuicem, vnionem ipſi naturæ relinquunt, mundando, vlcuſq. pannis ſiccis muniendo, & bene ſuccedit. Laudo hunc vſum, quem Paulus Ægineta lib. 6. cap. 60. probat, inquiens; Per totum verò curationis curriculum femora inter ſe conuenit deligare, & cũ ra inter remedijs quieſcere. Non eo tamen inficias, quin oleum abietinum calidum extrinſecus applicatum cõpetat, cæratum de diapalma; vino calido interdum vlcus humectare, eoq. ſpongiam imbutam apponere ſupra vlcus, laudo vtrunque.

Corol-

Corollarium, ac dilucidatio.

CVra prædicta tota conſiſtit, vt in actu executioni demandetur diligenter. Quare, cõmode ſituato patiente, inciſio fiat ab Artifice diligenti cũ raſorio arte parato, ac bene ignito; euitando ſuturam. fiat libera apertio ferro bene incidenti, & optime cauterizãte; vt acceſſus ad lapidem pateat; eo, quo fieri poteſt, minori incommodo, diſpendio, atq. patientis dolore lapis extrahatur; ex hac operatione duo illa euitantur pericula, quæ in caſu mortem minantur, nempe ſanguinis hęmorrhagia, & conuulſio: quæ ambo per operationem candenti ferro adminiſtratam euitari ſolent: & eſt

Corollariũ ad chirurgię executionem.

nouum inuentum a nemine hacte-nus deſcriptum, quod & experien-tia, & ratione confirmatur ad lau-dem Omnipotentis Dei, cuius no-men ſit in ſęcula benedictũ. Amen.

Reliquum eſt, vt de puerorum curatione dicamus, quam antiqui patres deſcripſerunt, tãquam faci-liorem, & magis tutam.

De modo extrahendi lapidem Pueris 14. annum non excedentibus.

Cap. 10.

QVanquam, quomodo lapis per ſectionem extrahatur vi-ris, ſatis abunde ſuperius ſit dictũ; tamen, quia in pueris nõ exceden-tibus annum quartumdecimum, diuerſa debet eſſe operatio; non ab inſtituto recedemus, ſi ad facilio-

rem intelligentiam particulare capitulum inſtituemus. Quapropter, antequàm deueniatur ad opus, ſi euacuetur aluus per clyſterem ſemel, & bis, ſi opus fuerit: deinde puer deambulet, ac ſaltitet, vt lapis ex veſica ad eius vrinæ ductum deſcendat: poſtmodum ſituetur puer ſupinus ſupra ſinum inter coxas viri conſidetis, & ſic pedes cum manibus ligentur, vt ſuperiori capitulo in cura viri fuit dictum: tunc miniſtri coxas pueri aperiant: puer autem ceruicem reponat ſupra pectus continentis, & nates impellat deorſum; illicò operator, linitis digitis, medio, & indice ſiniſtrę manꝰ cum oleo, vnũ, vel ambos digitos in pueri anum intromittat, vt ad veſicam perueniatur, manu autem dextera ſupra pubem, & abdomen

Violentus motus per ſaltus lapidẽ deſcendere facit.

Quomodo in operatione peragendum.

leuiter comprimendo, lapis perquiratur ſic, vt digitis diligenter ſubtus, & ſupra veſicam, comprimendo, & emulcendo, in fiſtulam lapis impingatur, educaturq. conducto lapide in ceruicē veſicæ, quoad fieri poteſt, inter teſtes, & anum, cum digitis ſiniſtræ manus firmetur, vt nequeat retrocedere. Tunc raſorio vtrinq. incidente aperiatur locus, vt lapis in coſpectū appareat; illicò cum inſtrumento vncato, vulgò, Brocchetto dicto, vel cum tenaculis educatur, extrahaturq. diligenter; cauendo, vt diximus aliàs, ne ſutura incidatur; ſed vulnus ab ea diſtet per granum hordei, & fiat in parte ſiniſtra inter teſtes, & anum ſecundum inceſſum muſculorum. Exempto calculo, vulnus optimo vino auſtero irro-

Quo loco ſectio fiat.

retur,

retur, & puer a vinculis ſoluatur, lectoq. reponatur; & aliquãtulum ſanguinis exire permittatur, minus enim veſica inflammatione tentabitur. Deniq. coxę ad inuicem ſupra genua colligentur: vt vulneris labia optimè ſe contingant, & vniantur; in reliquis fiat, vt capitulo præcedenti diximus. Eodem modo puella curabitur, per digitum in ano immiſſum: non autem per naturalia propter cauſas ſuperius allegatas; nec in his ætatibus infantiæ, & pueritiæ cum ferro candenti, ignitoq. tentanda eſt curatio ex eo, quia operatio tutior eſt, ac facilior, nec ſanguinis fluxio imminet. & cum caro tenella ſit, eliquaretur nimis. Quare ſola inciſione poterit opus expleri, & ſic, ſuffragante Deo, veram methodum curatiuam

Cur operatio ferro ignito ſit ſuſpecta in pueris.

tiuam habebimus.

De ſanguine ſiſtendo. Cap. 11.

CAlculo euulſo, ſi valens corpus eſt, neq. magnopere vexatum, ſinere oportet, ſanguinem fluere, vt minore inflammatione tenteturs nam egredi paululum nõ alienum eſt, licet rarò, cauterizato vulnere, ſanguinem inde manare contingat. ſiquid autem concreti ſanguinis intus manſerit, arte remouendus erit. At ſi hæmorrhagia non deſiſtat, rurſus, ne vis omnis intereat; ſupprimi debet, idq. protinus in imbecillioribus ab ipſa curatione faciẽdum eſt: cum autem in grumis verſus ex ſe non excideret, digitis educatur. Medicamenta igitur, quæ ſanguinem hunc

Sanguinem fluere facere confert.

Sang. grumoſus digitis educatur.

Remedia ſanguinem ſiſtentia.

huncſupprimunt, ex Paulo lib. 6. cap. 60. ſunt fuligo thuris, aloes, ſymphytum, myſi, & huiuſmodi ſanguinis profuſionem ſiſtentia. vel ęgro decumbente, crebrius locum poſca, oleo roſateo mixta, profundemus, lanamq. vino, & oleo imbutam imponemus, & cõgruis ligaturis firmentur; vel apponantur pulueres ex bolo armeno, ſanguine draconis, ſercocollæ, mãnæ, thuris, farinæ volatilis añа drach. 2. aut cum albuminibus ouorum excipiantur, & cum ſtuppis applicentur extrinſecus; non autem intrinſecus; quia dicebat Hippoc. lib. 5. aphoriſmorum aph. 18. Frigidum inimicum oſſibus, neruis &c. vel ℞. pilorum leporis combuſti, aloes, mannæ, thuris añа drach. 1. med. cum albumine ouorum:

incorporentur, & pilo leporis molliſſimo excipiantur, & ſupra vulnus applicetur, aut foueatur locus cũ vino auſtero, & aqua chalybeata: & cum ſpongijs imbutis nedũ locus vnde fluit, ſed circa ipsũ fiat fomentum. Poterit & æger ex eodẽ vino, & aqua chalybeata potare. Pro diuerſione fiant frictiones, ac ligaturę in brachijs. Applicentur cucurbitulæ ſupra hepatis, & lienis regionem, & cætera huiuſmodi, quę breuitatis gratia conſultò dimittimus.

De Diata poſt ſectionem, & quid agendum, ne iterum incurrat recidiuam. Cap. 12.

AEgro vulnerato, in lectoq. quieſcẽte, ratio vict⁹ erit pręſcri-

ſcribenda: Primò ad vulnus vniẽdum: poſtmodum ne iterum incurrat recidiuam, nouuſq. lapis gignatur. A principio igitur cibetur pane in brodio paruæ pullæ imbuto ſine ſale, perſiſtẽdo ad quartam vſq. diem, poteturq. vino oligophoron, ideſt aquoſo, aqua lymphato: omnino enim peſſimum eſt, ac mortiferum, aquam puram, ſiue coctam exhibere. Tranſacta quartà, poterimus eiuſdem pullæ tantillum carnis concedere, & ſic vſq. ad ſeptimam perſiſtere. Poſtmodum, ſi nihil obſtiterit, carnem arietinam, vitulorum lactentium, hædorum, & carnes omnes, quæ boni ſucci, faciliſq. fuerint coctionis; exhibere. Vbi autem ſitis fuerit intẽſa, poterimus interdiu buccellam panis vino infusã præbere, *Potus aquæ pernicioſiſſimus.*

ac po-

ac potum ſupradictum concedere. elapſa decimaquarta, aliud (prout opus erit) condonandum venit. Cōſolidato vulnere, inhibēda ſunt omnia, quæ lapidem in veſica, ſeu renibus gignere poſſunt. quæ ſunt ſecūdum Raſim libro diuiſionum. & ſecūdum Auicennam lib. 3. fen. 19. Tract. p. Cibi groſſi, vt eorum verbis vtar, qualis eſt panis azimus, & crudus, carnes vaccarum, & auium paludoſarum, piſces, & fructus groſſi, acetoſi, & virides, caſeus propriè humidus, & omnes res ex lacte conditæ. Aqua turbida, & vinum groſſum, & turbidum, & generaliter omnes res groſſę, & viſcidę, difficiliſq. digeſtionis, & omnis repletio, & vita crapuloſa: quod totum ad calculum euitandū paucioribus verbis Haliabas exprimebat

Quæ cibaria lapidē gignant.

bat

bat in primo ſecundę partis, inquiens, Cuſtodia eſt propter diuiſioné ciborum viſcoſorum, aſſiduationem ſeminum mundificantium renes, & abſtinentia a ſomno ſuper collum, & longitudinem ſtricturæ cinguli, & a multitudine equitationis, & labore dorſi, & quòd vtatur vomitu, cum eſt repletio: quod ſi fiat, poterit de facili a recidiua preſeruari, fauente Deo: cuius nomen ſit benedictum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Liber

LIBER TERTIVS.

DE HVMANI CORPORIS MALIS PER CHIRVRGIAM CVRANDIS.

CVM duobus præcedentibus libris de Oculorú affectibus, Veſicęq. morbis, qui manuum operam expoſcunt, fuerimus præfati; in hoc tertio libro de aliquibus alijs malis, aliquas corporis partes infeſtátibus, & doctam manum expoſcentibus, ſermonem habebimus, a Polypo exordientes; de quo ſuperioribus annis quædam pro cura lu-

ra lu-

ra Iuuenis Anconitani ſcripſi; qui cum Bononiam profectus eſſet, vt Doctiſſimos Medicos, atq. Chirurgos conſuluiſſet; plurima ſecum conſilia reportauit. Anconam reuerſus pauco temporis interuallo, de ſui ipſius ſanitate anxius, Maceratam ſe contulit, vt famigerum Medicum Cordellam comperiret: cui morbi hiſtoriam, acta omnia, & quæ a multis doctis viris propoſita fuerant, recitauit, ſcripturasq. quas ſecum aſportauerat, illi legendas præbuit. Quibus omnibus auditis, ac viſis Cordella illum ad me tranſmiſit. Ego autem cum affectum inueteratum, atq. rebellem conſpicerem; agnoſceremq. hanc fuiſſe cauſam, ex qua Excellentes Bononienſes Medici prouinciam illam ſuſcipere renuerunt; et ipſe

etiam ſententiam meam ſcriptis mandare promiſi, vt de facto ſatiſfeci. Maceratam, Anconamq. reuerſus, conſilium meum medicis perlegendum dedit: qui illum probauerunt, commendaruntq. hoc pacto, vt ego ipſe explerem; quæ ꝓpoſuerã, licet inuitus, vt Cordellę placitis parerem, ac aliquibus alijs amicis Fabrianenſibus; qui illum adduxerant; onus ſuſcepi. & quæ propoſueram executioni mandaui tum circa particularia, tum & vniuerſalia; ſic & taliter, quod, Deo ſuffragante, ſpatio duorum menſium Iuuenis perbelle curatus fuit cum maximo honore noſtro, & non ſine notabili lucro. Quarę cõſilium illud a mę præſcriptum, etſi præter inſtitutum noſtrum videatur, hic ad vnguem deſcribere placuit,

cuit, vt typis excudatur ad publicam vtilitatem, in calce deſcribenti, quiquid per chirurgiam præſtitum fuerit: vt quiſque & in theoria, & praxi, quiquid circa hunc affectum deſiderari poſſit, commodè percipere valeat.

Conſilium de Polypo narium. Cap. I.

ACceſſit ad nos nobilis Iuuenis Anconitanus, annos natus binum ſupra vigeſimum, temperaturæ biliosæ, imo prorſus aduſtæ, inueteratis ambarum narium correptus polypis, de quibus ſcripſimus; illos, & partes affectas cōſultò præteribo, cum oculis expoſita ſint, & nullam habeant dubitationem. At, vt in reliquis nihil derelin-

relinquatur intactum, infraſcripta omnia diſcutienda erunt.

Et primò, quid ſit Polypus.

Secundò an nares per conſenſum, vel per eſſentiam afficiantur.

Tertiò quis affectus ſit.

Quartò quæ, & quot ſint illius cauſæ.

Quinctò quid de exitu prædicendum.

Sextò curandi methodus tribus medicinæ membris explebitur.

Ego igitur, cum primum animum ad ſcribendum appuli, ab ea queſtione dicendi principium auſpicādum duxi; qua queritur, quid ſit polypus; quoniam omnis, quæ a recta ratione de aliqua re ſuſcipitur inſtitutio, debet a diffinitione proficiſci: vt intelligatur, quid ſit illa, de qua diſputatur.

Polypus ergo eſt tumor præter naturam, in naribus genitus polypi carnis perſimilis iuxta ſubſtantiæ proprietatem Gal. auctoritate lib. 3. De comp. medicamentorũ ſecundum locos. cap. 3. & Pauli Æginetæ lib. 3. cap. 24. & Aetij lib. 6. cap. 90. & Alex. lib. p. cap. 35. & oſſi adhæret Cornelij Celſi ſententia lib. 6. cap. 8.

Polypus quid.

Secundo loco quærendum, vtrũ nares per ſe, & primò afficiantur, an alijs partibus conſentiant: id ex actione læſa, læſæq. actionis eiuſdẽ inſtrumenti partibus, vſum præſtantibus, inueniendum eſſe præcipit Gal. p. & 3. De locis affectis. in vtriuſq. libri veſtibulo, & libro De conſtitutione artis. hac ſola actione læſa & affectam ſedem, & affectum ipſum, vbi aliæ omnes ha-

Nares an per ſe, aut per accidens patiantur.

O rum

rum rerum cognoſcenda non notę ignorentur, ſe inueniſſe ibi Gal. teſtatur. Nec tantum hæc ex læſę partis actionę cognoſcuntur, ſed ex illarũ etiam partium, quę principi parti aliquem vſum præſtant, manifeſtantur. læſa eſt actio anterioris partis cerebri, in qua alimentum inculpatum, quod gignẽdum eſſet, minime gignit, & a cerebro ad nares ea materia tranſmittitur, quę tranſmittenda non eſſet, & ea, quę mandari deberet inculpatã, nõ mandatur. Quibus rationibus partes per conſenſum affici conſueuerunt, auct. Gal. libro primo, & tertio. De locis affectis. Nec ab re fortaſſe fuerit affirmare, ſingulas totius corporis partes in nares conſpiraſſe, & ad illas noxiam materiã pepuliſſe, ac pellere. Vnde & af-

fectus hic præter naturam gignitur, & genitus conſeruatur, & augetur. quippe ex eiſdem cauſis, ex quibus affectū generātur, augētur, & cōſeruātur etiam nares; ergo per conſenſum ab interiori capitis parte, imo a toto corpore patiuntur. Diuturnitas autem effecit, vt etiam per eſſentiā patiantur. Vſum præſtant nares voci, quæ rauca eſt, reſpirationi, quę vitiata eſt, & odoratui, qui ſuo munere imperfectè fungitur; quæ ſunt actiones lęſę non per ablationem, non per deprauationem, ſed per ſolam diminutionem. Quibus modis actiones lędi, teſtis eſt Gal. lib. De ſympth. differentijs. cap. 3. & 4. At quoniā harum actionum vitium ad rem noſtram parum, aut nihil facit, illud conſultò pretereo, quod vix attigiſ-

Ex eiſdem cauſis affectus generantur, & conſeruantur.

ne quid intactum reliquiſſe videatur. cum enim nares ſanitati redditæ fuerint, hoc vitium per ſe ſpõte cadet, nullo adhibito medicamento. & ad tertium, quod expendẽdum propoſitum fuerat, meam hanc rationem conuerto.

Tertius diſputandi locus quæſtioni dabatur, quia inueſtigabatur, quis affectus ſit præter naturã: qui nihil eſt aliud, quàm morbus in quantitate aucta. Polypus enim ex genere eſt tumorũ pręter naturam auctore Gal. Paulo, Aetio, & Alex. teſtibus in locis ſupra citatis; qui tumor ad auctam quantitatem pertinet.

Polypus eſt tumor in quãtitate aucta.

Quarto huius affectus cauſæ inueſtigabuntur; & primo internę, mox externę. Polypi cauſæ internæ ſunt humores præter naturam

viſcidi, craſſi, atq. tenaces, & lenti, qui in cerebro, & fortè in corpore vniuerſo generantur, & ad nares tranſmittuntur ſupraſcriptorum auctorum ſententia. externę cauſæ ſunt inordinatus vſus ſex rerum nō naturalium, de quibus Gal. lib. artis medicinæ. cap. 85, cibi, & potus primò, & potiſſimum quo nullo habito diſcrimine qualitatis, aut quantitatis, aut temporis inordinatè quis vtitur.

Nunc ad Iudicium. Polypus auctore Celſo lib. 6. cap. 8. aliquando nares implere ſolet: quod ſi fiat, & per id foramen, quo ſpiritus ex naribus ad fauces deſcendit, adeo innoteſcat, vt poſt vuam conſpici poſſit, ſtrangulat hominem; maxime Auſtro, & Euro flante. ſi Polypi caro dura ſit, magis ſpiritum impulit, *Prognoſticum.*

pulit, & nares dilatat, ſi mollis, & alba, minorem noxam parit. eam ob rem facilius curatur? Si niger, & cancerosus ſit Polypus, attingi non debet, vtcunq. res habeat, longa, & difficilis futura eſt curatio. Quare longam diligentiam, & maximā poſtulat. diligentia ſine longitudine, & longitudo ſine diligentia ſat non erit. Vtraq. coniungenda eſt: alioquin tempus fruſtra conteritur.

Hic affectus minime per criſim ſoluetur, cùm ex materia minime mobili, tenui, ac bilioſa nō fiat; ſed ex craſſa, viſcida, atq. tenaci, quæ Medico, & medicamentis ægrè cedit. Finitur ergo per coctionem. His adde difficultatem applicandi medicamenta, & quæ in parte affecta vix conſeruari poſſunt tum propter loci anguſtiam, tum etiam

propter

propter humiditatem, quæ ad nares nunquàm non confluit; & quę applicata fuerint medicamenta, abluit. Si tamen diligentia adhibita fuerit, omnia ad optatum finem perducentur.

Poſtremus locus curandi meth. dabitur, præſertim cum Polypus hic, quãquam in vtraq. parte, illius generis non ſit, quòd ſola ſit prędictione relinquendus; & curandi methodus a victus ratione, quę inculpata cuſtodiri debet; in omnibus ſex rebus nõ naturalibus principium auſpicandum: de quibus ordine diſputabitur. *De Meth. curatiua.*

Primo, aer eſt eligendus exquiſite purus, qui nec ſtagnorum, nec paludorum habitu ſit infectus, nec ex profundo ſpecu auram ſpiret, nec ex cloacis, quæ aliquod op- *Aer qualis eſſe debeat.*

pidum purgent, qui ex animalium, olerumq. aut leguminum, aut etiam frumenti putredine, aut fimo coinquinetur, nec qui ob ſtagnum, aut flumen vicinum nebuloſus ſit, & ad Aquilonem conuerſus ſiccus exiſtat; aëri nocturno, aut matutino, aut veſpertino, quanquàm inculpato, ſeſe non exponat, meridianumq. ſolem fugiat.

Cibus. Cibi, & potus, etiam inculpati, ſatietatem vitet, nec propter abſtinentiam, aut laſſitudinem, aut ſitim timeat; nam cibi parcitas nihil horum facit, auctore Hippoc. lib. 3. De morbis vulgaribus. & lib. 2. De ratione victus acutorum. Idem Hippoc. ſcripſit adiectioni intendendum multo minus. nam quod plus eſt, exſuperatq. noxas, interdum ineuitabiles facit; quod minus

nus

nus eſt, facile emendatur. Quod quanquàm de ægrotantibus dicatur, de integra valetudine præditis verum eſſe, Hippoc. teſtatur 2. aph. aphoriſmo 17. his verbis, Vbi cibus ſupra modum ingeſtus eſt, hic morbum facit; propterea bis tantum in die comedat, & bibat. Præterea nihil attingat, cibiſq. veſcatur, qui bonum ſanguinem gignant; hi qui, & quales ſint, Gal. ſcripſit lib. De alimentorum facultatibus. & De cibis boni, & mali ſucci. Bonum alimentum gignit panis, qui ſit benè ſubactus, bene fermentatus, & probe coctus, caro haedina, vitulorum lactentium, caſtratorum iuuenum, omne genus auium montanarum, pullorũ gallinaceorum, columbarum iuuenum, oua tremula, ſorbilia nun-

cupa-

cupata, ex aqua cocta, recens nata; nulloq. alio modo parata. Mala caro bubula, porcina, omnis generis etiam ſale condita, auium paluſtrium, piſcium quouis modo paratorum, omnia genera leguminum, cibi ex quouis genere, paſtarum, aut lactis parati, allia, cæpę, ſcalondes, radiculæ nuncupatę, omnes fructus horarij, etiam pepones, omnes herbarum ſpecies crudæ. Vinum malum eſt nigrum, peius vinorum pingue, craſſæ ſubſtantię, acerbum, auſterum, album; ſed omnium peſſimum illud eſt, quod ad ignem coquitur. Vinum tenuis ſubſtantiæ, ſubaſtringens, rubicundum, & bene dilutum optimum propter materiam, quæ in capite gignitur. Minus cœnandum, quàm prandendum. Tertio

Vinũ quale competat.

Hip-

Hippoc. libro De morbis vulgaribus, cum de ſanitate comparanda, & comparata conſeruanda, atq; augenda loquitur; hęc duo coniungit, ideſt ciborum moderatum vſum, & ſolicitudinem ad laborandum; ſine quibus vitam ab ægritudinibus incolumen degere nō licet. De cibis, & potibus dictum eſt ſatis. Nunc de laboribus dicẽdum. Ante prandium ergo, & ante cœnam corpus leuibus laboribus exerceatur, non in locis ad ſolem, ad vehementes flatus, ad pluuiam, aut aliud eiuſdem claſſis violentum expoſitis; ſed ad leuem auram, ſub vmbra; ita vt montes, & valles, & flumina, & fontes, & virentia prata, & nemora conſpiciantur. Nimirum vt hac varietate ſpiritus in toto corpore, in capite

Quale, & quando, ac quãtum exercitium competat.

præ-

præſertim, multiplicentur, vireſq; maiores aſſumant. Quod ſi vel propter pluuias, vel propter aliud ſimile ſtet, quò minus id fieri poſſit, in amplo conclaui, & ad Aquilonem expoſito corpus exerceatur, aut leuibus exercitationibus, aut luſu pilæ, quam palmariam vocant: vnice cauendum, imo ſumma ope viri decet: ne caput, mali fontem, vehementibus exercitationibus excalefaciat, & excalefactum id morbi, quod radicibus euellendum curamus, aucta cauſa augeatur. A prandio, & a cœna quieſcat. Omnibus illis præſertim, qui capite laborant, quo nobilem Iuuenem hunc laborare dictum eſt ſupra meridianus ſomnus eſt nocentiſſimus: primum quod cerebrum nimia humiditate implet, &

Somnus meridianus nocuus.

hunc,

hunc, quem curandum ſuſcepimus morbum, augeat, & alias propter nimiam humiditatem quotidie gignat: vt ſomnus meridianus capitis plenitudinem procreare ſolet, ita matutinus factam plenitudinem auget. Hinc eſt, vt Hippoc. præſag. lib. 2. non temere ſcripſerit. Interdiu vigilare, noctu dormire oportet: a cœna nõ, niſi poſt duas horas, cubandum. Corporis excrementa ſi naturaliter nõ reddantur; eorundem exitus arte prouocetur, aut leui medicamento primo, & potiſsimum ſine diluto, aut damaſcenis, aut alijs dulcibus prunis exſiccatis & ex iure coctis, ſaccharoq. cõditis, & ante alios cibos ſine pane manducatos, aut leui clyſtere: eundem commodum nobis præſtare poterunt paſſulæ

dulces

dulces exſiccatæ, præſertim orientales, eodem modo paratæ.

Animi accidentia fugienda.

Animi perturbationes impenſe fugiat, ne ſpiritus illarum occaſione ad caput ferantur; nouamq. in capite plenitudinem moliantur. Vnde & huius, & aliorum morborum cauſæ & augeantur, & auctæ conſeruentur.

Abſolutis ſex rebus, non naturalibus vocatis; dicendorum ordo ad medicamenta nos vocat, a quibus diuertimus propter maxime neceſſariam ſex rerum non naturalium diſputationẽ, quam poſtquàm abſoluimus, eò reuertemur, vnde diſceſſimus.

Lenita aluo a vena ſectione exordienda curatio.

Facta itaq. leui inteſtinorum ablutione per aliquod clyſtere, ſanguis ex dexteri giberi vena, quàm baſilicam vocant, primum mittatur

tur, antequàm aliquod medicamẽtum exhibeatur. mox alternantibus; & euacuantibus medicamentis vniuerſo corpori conſulatur. id quod a doctiſſimis medicis ſumma cum diligentia factum eſſe accipio; per hirudines; & hemorroidibus nouus ſanguis mittatur; quibus non tantum materia noxia euacuabitur, ſed a capite, quod maximopere oportet, reuelletur: etiam hunc ordinem ſeruandum eſſe Gal. pręcipit lib. De vacuãdi ratione per venę ſectionem, & non raro alibi. corpore vniuerſo per ſanguinis miſſionem, & per medicamenta, tum alterantia, tum reuellentia, tum euacuantia purgato; ad topica vocata venire oportet, ad quę, priuſquàm totius euacuatio abſoluta fuiſſet, tutò venire

nire minime potuiſſet. ad partem enim affectam maximam noxiorũ humorum copiam attraxiſſent, & affectum auxiſſent, cui non minime faciendę noxæ a totius purgatione, nihil loci relinquitur.

Scopi curatiui a morbo, et illius cauſa ſumẽdi ſunt.

At quoniam curãdi ſcopi a morbo, & a cauſa morbi in hoc affectu ſumi debent, derelictis illis ſcopis, qui ſympthomatibus accipi conſueuerunt, quę ſympht. diſſipato morbo, & illius cauſis, propria ſponte cadent, morbus, qui iam factus eſt, tollitur, & qui futurus eſt, ne fiat, prohibetur Gal. teſte lib. vndecimo meth. Idem in cauſis ordo ſeruandus, vt quæ affectum fouent, tollantur, & quæ in generatione ſunt, inhibeantur. ne morbus & augeatur, & ne cauſę nouę gignantur, victus ratio inculpata

paulo

paulo ante inſtituta, & medicamenta alterantia, & euacuãtia pręſtabunt; quæ qua meth. ſint adminiſtranda, ſatis, ſuperq. diſputatum fuiſſe reor. Affectus pręter naturam genitus, topica vocata, medicamenta poſtulat, &, vt prius, ita tunc ab vniuerſis, & communibus medicamentis exordiendum: mox ad particularia deſcendendũ. Totum ergo caput, vniuerſi mali fontem in contrariam partem, exſiccandumq. auth. Hippocrate in libro De flatibus. & ſæpenumero alibi vulgatum eſt pronunciatum; quòd medicinam factitãtibus omnibus pręcipitur, vt aduerſa aduerſis curentur. Humidus eſt affectus; & a capite primam ſui ortus originem repetit. Caput ergo exſiccabitur: id etiam iubet Gal. lib.

tertio. De ratione medicamentorum ſecundum locos. cap. tertio. Idem Cornelius Celſus libro ſexto, cap. 8. idem alij, de quibus ſupra mentionem fecimus. Caput igitur raſorio abradatur, aſſidueq. vehementer perfricetur, oleoq. roſaceo, & myrtino inungatur, & corallorum, ſandalorum maſticis, thuris, vernicis, ſcriptoriæ, & aliarum eiuſdem generis rerum aſtringentium pulueribus aſpergatur. Poteſt etiam Aetij, & Tralliani auctoritate in locis ſuperius ſcriptis adhiberi medicamẽtum, quod habet mannæ, thuris vnc. 1. integras cocleas n. quinque, quibus ouorũ albumina duo, & cæræ, quantum ſufficit, ex his medicamentum cõficito, capitiq. vt ſupra, raſo adijcito, & cum linteo, raſo capite, applicato,

plicato, & per integros ſex dies obſeruato. His medicamentis ſiccitas, & robur capiti conciliabitur, nullaq. propterea in eo noua materia generabitur, quę ad nares cõfluat: ab aquis Thermarum ex alto cadentibus, quæ nimis calent, vt ſunt illæ Sancti Philippi, omnino abſtineat, ne caput ab ortu calidum, & ſiccum ſupra modum exſiccetur. Aquis vero, quæ in agro ſunt Sancti Caſſiani, tutò vti poterit, cum in illis exſiccandi vis ſit longe minor. Quapropter minore cum diſpendio innati temperamenti, quod, vt fieri poteſt, conſeruari debet, in caput ex alto deſcendere poterunt, & ad illud iuſtam exſiccationem afferent.

Poſtquàm capite robur præſtitum fuerit, ſummopere nitendum,

vt morb⁹ iam genitus profligetur. Profligabitur autem medicamentis media facultate præditis, quæ & aſtringant, & exſiccent, & attenuent, partim etiam diſcutiant ex Galeni præcepto lib. tertio. De ratione medicamentorum ſecundum locos. cap. tertio. Idq. ſine morſu præſtent, vt eſt roſarum rubearum aridarum puluis tenuiſſimus, & pompholigis præparatæ, & aloes, & corticum malorum punicorum, & aliarum rerum abſq. morſu exſiccantium, mirum in modum, & tanquàm prętantiſſimum a Galeno laudatur medicamentũ: quod accipit mala punica magnitudine æqualia, & n. tria acida, dulcia, & medio ſapore prædita, eadenq. recentia, & probe matura, vt ſuccus facile exprimatur. Hęc in mortario

vna cum nucleis optime contundantur, mox ſuccus exprimatur, & in vaſe ſtanneo ad infraſcribendum vſum reponatur, & quod relictum fuerit ſolidum, rurſus diligenter contundatur, ſuccus, vt ſupra, expreſſus, & attenuatus, & his poſtremus miſceatur. Hæc omnia expreſſa attrita, & leuigata miſceantur, & ad lentem ignem excoquantur, donec collyrij formam induantur, & in nares ſæpenumero indantur. Ad euitandam perpetuam moleſtiam collyrij illius vſus intercaletur, & per interuallum ad illud redeundum hyemis tempore bis in die, alijs temporibus, diebuſq. longioribus ter in ſingulos dies applicetur, applicariq. poterit vel cum penna, vel cum lana, ſpecillo obuoluta, & in hoc medica-

mento intincta, & in nares indita. Bombicis idem poterit eſſe vſus: medicamentum ex pompholige, quod abſq. morſu exſiccet, idem præſtabit.

Succi in vaſe ſtanneo repoſiti partem cuſtodito; & cum intercalatur, in nares infundito, ne locus affectus abſq. medicamento vnquã inueniatur. eodem ſucco duo palatns foramina, quæ in nares aſcendunt; aut penna, aut ſpecillo, vt ſupra ſæpe diximus, illinito. Multum etiam confert vnguentum in hanc formam paratum.

℞. ſpumæ argenti drach. 3. cæruſſæ, drach. 4. aluminis ſciſſilis drach. 2. tuſis, & cribratis in mortario coniectis cum vino odorato ad mellis craſſitudinem omnia redigito, myrtinoq. oleo addito cõ-

quaſſato; & in pyxide plumbea cuſtodito, vt ſupra dictum eſt, applicato. Ad inueteratos polypos maxime commendauit Alexander Trall. infraſcriptum puluerem, ex chalcantho, calcitide, ære cremato, & myſi pari pondere, & ſeorſum ſingula terantur, tritis aceti momẽto addito: omnia ſimul miſceto vino generoſo, donec glutinoſum fiat, & ad mellis craſſitudinem cõcreſcat: tãdẽ in ollã recentẽ conijcito: quam operculo munitam, lutoq. oblitam in furno calido ponito, donec in carbones redigantur: deinde ex furno exempta, cum vino torrito, iterum ea torrefacito, redigitoq. in puluerem: quem reponito, &, vt ſupra, vtitor. A grauioribus medicamentis, quanquàm valde exſiccent, quia tamen

cum morſu faciunt, doloremq. excitant; abſtineto. Hæc, annuente Deo, amiſſam ſanitatẽ reſtituent.

Curatio in eodem caſu per chirurgiam adminiſtrata.

CVratio polypi, & ozenæ, ſic, & aliorum vlcerum narium, ſecundum Galenum, vt conſilio ſuperiori ſatis dictum fuit; eſt capitis exſiccatio, illiuſq. corroboratio, vt a ſuperfluitatibus reddatur immune. Quod totum vbi aſſequuti fuerimus; partem affectam reſpiciemus iuxta Gal. ſententiam quincto meth. traditam, dicentis, Naribus multo quidem ſiccius, quàm oculis, minus verò, quàm auribus oportet eſſe pharmacũ. quo verò ad topica remedia, capitulo ſupe-

ſuperiori ſatis traditum eſt: & duntaxàt addi poteſt oleum de iunipero, de chalcantho, cum cautela applicito: ac de ſulphure: at Auicenna cap. proprio extollit ad aſtra & ſuccum, & puluerem granatorum. Et de topicis hactenus. Reliquũ eſt, vt de chirurgia diſſeramus.

Manualis operatio circa polypum ſecundum Albucaſim lib. 2. cap. 24. Paulum Æginetam lib. 6. cap. 25. Cornelium Celſum lib. 7. cap. 10. quadrifariam fieri poteſt. Primò per inciſionem, & abraſionem; ſecundò per cordulam nodóſam: tertio per cauterium: quartò per naris lateralem abſciſſioné. Affectus hic nares comprehendit, ac obſtruit ſic, vt laborantes difficulter reſpirent, & ſermonem ęgrè exprimant. & eſt Duplex affectus,

vnus

Vnus incurabilis, & alter curabilis. Duri polypi, tactui renitentes, liuidi, & maligni, ceu cancri naturam induentes, attingi non debet. Molliores verò laxos, ſtupidos, atq. maleficos ſcalpello curare tentabimus.

Figurato patiente in ſedili aduerſus ſolis radios, & narium meatu ſiniſtra manu explicato, dilatatoq. inſtrumentum ferreum ad id paratum in myrtacei folij modum acutum, orbicularem polypum, aut caruncculam dextera præcidemus, ac pro poſſe radicitus euellemus; illumq. tenaculis, vel vnco educemus. Poteſt & roſtro gruino, quod dentes plurimos habeat, apprehendi, ac forbicibus anguſtis, beneq. incidentibus abſcindi. ſi quid ſuperſit, abradatur, ac de-

Primus modus.

lea-

leatur inſtrumento cõgruo, ac ſtudio ad id parato.

Secundus modus expletur per cordulam ex ſex, vel octo filis paratam, ac pluribus nodis munitam ad inſtar coronæ, quę in acu plumbea ponatur. ſit autem acus ad palmi longitudinem, ſubtilis, ac retorta, quę per nares intromittatur, & per os educatur. Poſtmodum ſerrando, trahatur, & retrahatur, donec polypus aboleatur, deleaturq; quod vt certius ſuccedat, liniatur cordula vnguento ægyptiaco deſcriptionis Auicennæ, vel oleo de ſulphure, & ſimilibus. *Secundus modus.*

Tertius modus, quo pluries ſũ vſus cum honore, & ægrotantium ſalute, hoc pacto expletur. Incidatur Polypus forbicibus, quoad fieri poteſt: deinde roſtro, vel vnco *Tertius modus.*

edu-

educatur; ſanguiniſq; fluxus compeſcatur: demum impoſito ſpeculo, vel cannula, intromittatur ferrum ignitum arte paratum, quod vndiq; locum affectum pertingat, ac cauterizet, replicando, donec euulſus penitus fuerit. Operatio tuta eſt, & audacter adminiſtrari poteſt: nam hoc modo curaui Iuuenem Anconitanum & honore, & notabili lucro ad ſcutata centū vſq;. Quare hanc operationem inter cæteras, tanquàm certam, ac tutiorem ſemper commendarem. Sunt quidam, qui præter rationem renuunt actuale cauterium. Iis per eandem cannulam imponatur potentiale, nempe oleum de chalcātho cautè applicatum, vel de ſulphure, de corniale, aut præcipitatum aqua ardenti irroratum, &

com-

combuſtum candela accenſa per plures vices: poteſt parari miſcella, & in extremitate candelæ imponi, & applicari ad polypum eradicandum, vt fit in caruncula, meato vrinario innata.

Polypus eo modo, quo veſicę caruncula remouet̃, extirpari poteſt.

Quartus modus adminiſtrari debet, incidendo narem a latere vſq; ad os, vt locus bene pateat, & affectus radicitus extirpari poſſit. Túc eleuetur naris, vt polypus in conſpectum appareat: qui forbicibus eradicetur, demum actuali cauterio cauterizetur vſq; ad os; vt vitium non facilè reuertatur: deinde eſcharoticis, nẽpe butyro, vnguéto roſ. exugna ſuilla, vitello oui cum oleo roſ. quaſſato, & huiuſmodi incarnetur: deniq. vnguento de plumbo, de tutia, albo, cũ muria, vel vino rubeo, in quo bul-

Quartus modus.

liat centaurea minor: curato polypo, excorietur naris inciſa; & vndiq. ſanguis fluat; & illicò ſuatur, & vniatur diligenter, applicando ſuperius aquam roſ. cum albumine oui ſimul quaſſatam, donec incarnetur; remotis punctis, applicetur aqua vitis, vt citius exſiccetur, & conualeſcat. Sunt, qui commendant hanc vnionem, cum primum polypus euulſus, & combuſtus eſt, at mihi non placet: quia eſcharotica vnctuoſa prohiberent vnionem: inflammatio, quæ ſolet ſequi poſt operationem, impediret ſimiliter opus. Quare commodius poſtremo fieri poterit. Hoc vnum præcauendum per totum curationis curriculum, vt nares ab inciſione, vel cauterio nè deturpẽtur: ſed in propria forma ſeruentur

tur

tur cum cãnulis plumbeis arte pa- ratis, & continuò in nare delatis, donec pars in priſtinum reſtituatur. Curato polypo, diuertatur fluxio ad minus per ſex menſes, vt vitium non facile reuertatur. Quod fieri poterit per ſetonem, vel cauterium nucæ applicitum, vel per decoctum ligni guaiaci, & huiuſmodi.

Cauendũ, ne forma nariũ deturpetur.

De Fiſtula lacrymali. Cap. 2.

Fiſtula lacrymalis, quæ a Celſo ægilops dicitur, eſt ſinuoſitas derelicta à præcedenti apoſtemate in angulo maiori oculi, qui dicitur lacrymale: quod ab Auicenna dicitur Garab, in capitulo proprio, inquiente, Apoſtema Garab cum remoratur in apertione, ſani-

Fiſtula lacrymalis quæ.

ſanieſq. in eo continetur, acquirit quandam nitroſitatem, ratione cuius vlceratur locus vſq; ad os, & fit fiſtula, & quandoq. erit ſanies per lacrymale, & aliquando per exterius, & nonnunquàm per vtrunq; latus, ac ſæpe per nares.

Fiſtula nota.

Signa fiſtulæ huius ſunt, cum præceſſerint apoſtemata in lacrymali, & poſt curationem reliqua fuerit calloſitas, ac profunda durities, & aliquando ab oculo exit ſanies ſeroſa, & glutinoſa, ſi comprimat, oculi ſic affecti ophthalmiaci ſunt, ideſt rubri inflammati.
Si autem hęc fiſtula fuerit in carne, intromiſſo ſpecillo, ſentitur lenitas: ſi autem in oſſe, perſentitur aſperitas.

Vniuerſalis curatio.

Curatio fit duobus medijs, vniuerſalibus ſcilicet, & particularibus.

bus. Vniuerſalia tribus perficiuntur intentionibus, videlicet per cōgruum victus regimen. Per euacuationem humoris peccantis. Tertiò per rectificationem membri mandantis; & corroboratione recipientis. Quæ omnia debitis medijs expleri debent. Particularia verò quattuor ſubminiſtrantur intentionibus. Prima anguſtum orificium aperit. Secunda fiſtulam mortificat, & calloſitatem adimit. Tertia locum mundificat. Quarta locum mundificatum taliter incarnat, vt vitium non facile reuertatur. Aduertendum primò, & diſtinguendum, an fiſtula ſit in carne tantùm, an in carne, & in oſſe: an recens, & in principio: an antiqua, & annua. Si in carnē tantùm, recens, & in principio; a le-

Cura partícul. expletur 4. ſcopis.

uioribus erit inchoandum. Interdum enim facili negotio curari ſolet, præſertim in ſanis corporibus. Ideo Trallianus, & Paulus tanquã optimum remedium alicam aceto elixatam, leuigatamq. propoſuerunt. Ruta quoq; ſatiua lexiuio, quod primum manat a colatorio, decocta perpulchre hanc fiſtulam ſanat, & pulchram relinquit cicatricem, vt pluries expertus ſum. Vſu quoq; probatum medicamẽtum Trallianus, & Auicenna deſcripſerunt. Recipit autem internam arundinis membranam, ſeu lanuginem, id quod rotundum circa nodos inueniri conſueuit, & præſertim circa radices; acceptam ergo melle, ſeu aqua mellis inijcito, & particulæ affectæ imponito, mutans quotidie quater, vbi prius

locum repurgaueris: aqua mulſa, vel poſca, vel aqua aluminoſa, aut aqua ſalita cum ſpongia: ſola enim membrana ſi apponatur, mirabe-ris. Coclea cum teſta combuſta, addita myrrha, & aloe mirifice cõ-fert. Arnogloſſa, ideſt plantago, cum ſale contuſa, & appoſita mira-culo quodam fiſtulas deſtruit. Itẽ nucis combuſtæ cinis iniectus ſa-nat, aut terebenthina cum alumine ſciſſili, aut malicorium cum melle. Puluis ſubtiliſſimus ex vitro para-tus, & inſperſus fiſtulæ orificium claudit. Aqua ardens cum pulue-re ſauinæ mirifice ſanat. Si autem in carne, & in oſſe, antiqua, & an-nua fiſtula fuerit, ex ſententia Pau-li lib. 6. cap. 22., Aetij lib. 7. cap. 86. Cornelij Celſi lib. 7. cap. 7. ad chirurgiam confugiẽdum: nam

ex Hippocrate in aph. extremis morbis extrema remedia òptima ſunt. Quam ob rem exequemur quattuor ſupradictas intentiones: Primò aperiendo anguſtum orificium cum radice ariſtolochię, gentianæ, draguntеæ, brioniæ, aut ex medulla ebuli, vel ſambuci, vel ex cucurbita exſiccata ad modũ corrigiæ, aut de ſpongia filo alligata arctè, & exſiccata. Poterit ex his turunda parari, & in orificio fiſtulæ toties imponi, donec libere pateat totus callus, & in coſpectum appareat: quod ni ſecundum intentionem ſuccedat, tẽtetur phlebotomo, inſtrumento fiſtulari, vel alio quouis commodiori inſtrumento, dummodo locus affectus pateat. Hoc vnum prçcauendum, vt inciſio fiat ſecundum longitudi-

Primus ſcopus.

nem,

nem, ac rectitudinem, elongando, quantum fieri poterit, a lacrymali: vt tutò ad cauterium deuenire valeamus. Fiſtulam mortificabimus, callofitatemq. remouebimus incidendo, vel potentiali cauterio cauterizando, vt eſt oleum de ſulphure, de chalcantho, in quo imbuatur turũda, ac in fiſtulę orificio imponat, vel cũ trochiſcis aſphodelorũ, cuius forma recipit ſucci rad. aſphodelorum drach. 6. calcis viuæ dr. 2 auripigmenti drach. 1. arida ſucco merſa ſub canicula inſolentur, dum ſqualleant: vel cum tincta de calce, & ſapone, vel ex calce cum melle mixta, vel trochiſcis de minio a Ioãne Vigonio deſcriptis, & in forma turundarum paratis. *Secundus ſcopus.*

Quæ omnia, ſi verum fatear, parum probo propter eorum mali-


tiam. etenim ſolent partem coinquinare, dolorem excitare, materiam ad locum attrahere, & limina morbifica pertranſire. Quare illorum loco commendo actuale cauterium: quo aduratur, adimaturq. radicitus calloſitas: nam hoc poteſt cautius, ac tutius applicari: nõ enim traſcendet tantillum voluntatis limina, partem corroborabit, callum eradicabit, nec pars iterum fluxione tentabitur.

Quapropter, ſituato patiente in loco lucido, ac ligatis manibus, ſi opus fuerit, caput firmet, nec vſquàm quatiat, ne opus impediatur, parata cannula, per quam ferrum ignitum imponi poſſit, aut cuſtodia ocularia ex inuentione noſtra, ad ſimilitudinem corticis amigdalæ, curua, in extremitate vtraq.

per-

perforata, atq. anſa munita taliter, vt orificium cuſtodiæ cum fiſtulæ orificio correſpondeat ſic, vt commode ſimul , & ſemel per vtrunq. orificium potētiale cauterium imponi poſſit, tum ad callum remouendum, tum ad os carioſum comburendum.

Forma cuſtodiæ oculariæ concauæ, non planæ.



PAretur etiam duo ferrea inſtrumenta quadrangulata, vel triangulata, quæ commodè, concinneq. poſtquàm ignita fuerint, in orificium cuſtodiæ, & fiſtulæ intrudi, ac callum adurere poſſint, & tuto, ac cito opus abſoluatur. Quare ſemel, & bis repetatur cauterium, vbi opus fuerit: vt affectus deleatur, nec aliàs incurrat in recidiuam. Vnum præcauendum, ne in opere lædatur lacrymale, vel eius angulum diuidatur a palpebra: nam pars deturparetur.

Remota calloſitate, atq. ab oſſe carie, vt res exigebat, ſuperimponatur oui vitellum, oleo roſ. quaſſatum: replicetur, donec feruor, & dolor miteſcat. Partes circunuicinę irrorentur, ac madefiant aqua

roſa-

roſacea, plantaginis, vel violacea, mixta cum oui albumine, ac pauco aceto roſ. quaſſata. Remiſſo feruore, doloreq. imponatur in orificio parum vnguenti roſacei; demum muniatur locus oui albumine, eiuſq. vitello mixtis, & cum petia applicatis, alligatiſq.: fronti defenſiuum rubrum vſuale imponatur: & ſic demittatur vſque mane. Aetius lib. præcitato in prima viſitatione adhibet lēticulam cum melle coctam. & his expletur ſecunda intentio. Inſurgit & tertia intentio, quæ præcipit locum mundificare, incarnare, ac cicatrizare. Eſchara faciliter decidit propter partis humiditatem. Ideo de eſcharoticis nullum verbum. Alterum eſt, quòd vntuoſa oculis ſunt infeſta, locus mundificabitur

Tertius ſcopus.

aqua

aqua mellis ſtillatitia, vel ℞. floris æris, aluminis aña drach. med, rodomellis vnc. 1. miſce S. A. aut ℞. tutiæ vino præparatæ drach. med. myrrhæ, aloes aña ſcrup. 1. farinæ hordei ſcrup 2. cum rodomelle, & ſucco appij: fiat miſcella ſecūdum artem. Muniatur locus cærato de diapalma, de lytharg yrio, de cæruſſa, & huiuſmodi. Orificio mundificato, vt cauitas repleatur, ac ſquamæ aduſti oſſis, ſi quæ ſint, decidant; imponantur intrinſecus pulueres exſiccantes, vt eſt ſarcocolla, ariſtolochia, tutia, vt ſupra, præparata, panacea, irios, in puluerem redactis, & coniunctim, vel diuiſim applicatis. Commendatur ad hunc vſum farina lentium cum melle mixta, ac terebenthina clara cū alumine ſciſſili vlcus mundifi-

dificat; celerrime repurgat, incarnat, & cicatricem inducit ex Aetij ſententia loco ſuperius citato: qui vitrum leuiſſime tritum, ac ſuperius inſperſum ad incarnandum comprobatum commẽdat: & ego ſum expertus, & miratus, cum ſpatio vigintiquattuor horarum viderim pulchram induxiſſe cicatricẽ. Valet ſpongia vino optimo imbuta, & illa pe applicata. Aqua ardens cum puluere ſauinæ mixta optime operatur. Abſtinendum a cicatrizantibus, donec oſſis ſquamę omnes exciderint; ne incurramus in recidiuam. Ego ſoleo vna cum particularibus ſemper adminiſtrare vniuerſalia, & feliciſſimo ſucceſſu, vt ſimul, & ſemel cauſam, & effectum, morbum in facto, & in fieri reſpiciamus. Quare hæc potio plu-
rimum

rimum commendatur, videlicet ℞. oſmundæ, quæ filix mas eſt Dioſcoridis, partes tres, gentianæ partes duas, centaureæ partem vnam: coquantur in vino albo, & fiat potio: qua vtatur hora ſỹ. per quindecim dies, præmiſſa ſemper euacuatione. Ligni ſācti decoctum, vel ſalſeparillæ cum ligni cortice, vel chynæ, ſunt remedia ſecuritatis, & reddunt curam perpetuam.

Reliquum eſt, vt nihil derelinquatur intactum, vt in oſſis carie, vbi diutius ſquamæ oſſi aduſti remorantur ad exitum, vt locus aduſtus non claudatur: ſed turundis adapertus præſeruetur ex filamentis ſiccis deraſis, vel turunda ex lanugine cannæ, quæ ad intra iuxta nodos in forma rotūda reperitur. Cooperiatur locus vnguento de

calce

calce, de plumbo, vel de tutia. Vlcus cito claudit ruta ſatiua aceto decocta, ac contuſa, & cribrata locoq. affecto emplaſtrata. Cicatrizato vlcere, vt vitium non facile reuertatur, fluxio eſſet aliò diuertenda frictionibus, atq. cauterijs in nucca, in brachijs, vel in cruribus, prout, habita ratione membri mandantis, commodius reuulſio, & interceptio obtineri poteſt. & hic eſt verus modus curãdi: quẽ pluries ad vota expleuimus, iuuante Deo.

Quartus ſcopus.

De modo curandi labia leporina. *Cap.* 3.

Labia leporina ſimilitudinarie dicũtur.

Contingit interdum Puellos oriri labijs adapertis a naribus ad os: aliquando ab vno latere: quã-

doq.

doq; ab vtroq., ad inſtar leporis.
Quod naturæ peccatú reddit hominem deformem: oſtendit enim dentes, vt fabuloſe dicitur de equo Gonnellę: at, quod eſt deterius, impedit loquelam, & ſputum nonnunquàm, ac potus inuoluntariè exit. Quare, vt vtriq; occurramus incommodo: decorem conciliabimus, ac vitium omne corrigemus infraſcriptis medijs, videlicet ſutura diuerſimode adminiſtrata, vt patebit inferius, ac petijs incollatis. Curatio verò vnica expletur intentione, nempe vniendo diuiſum; quod aſſequemur per coalitú partium diſtantium.

Collocato ergo patiente in loco claro, capite cælum ſpectante, ligatiſq. manibus, præſertim ſi fuerit puſillanimis, quattuor mo- *Vnio quomodo fiat.*

dis

dis tentabitur curatio. Primò per ſuturam hoc pacto, Perforetur labium hinc inde acu filum ducente circa medium partium diuiſarum, & demittatur hinc inde filus ad palmi longitudinem, & extremitates fili imponantur ſupra aures. Deinde diuidatur parumper labiũ a gingiuis vndiq. iuxta narem, & partes diſtantes æque adęquentur, & forbicibus bene incidentibus ab vtroq. latere tota calloſitas a ſummo vſque deorſum, incidendo, remoueatur: vt ſanguis vndique effluat. Tunc æquatis partibus, conſtringatur punctus, qui a principio fuit inflictus, & ſtatim duo alia puncta, vnum ſuperius, alterum inferius iuxta labij extremitatem adaptentur, vt partes perbelle coeant: demum cooperiantur puncta

petijs

petijs madefactis oui albumine, ac aqua roſ. ſimul quaſſatis.

Secundus modus, excoriatis hinc inde partibus diſtantibus per inciſionem cum forbicibus, vt ſanguis vndiq. fluat, vt ſuperius fuit dictum, perforentur labij extremitates iuxta os cum acu parua filum laneum, ducente ad longitudinem palmi: qui filus hinc inde iuxta acus extremitates inuoluatur ita, vt in medio ſpatij ſemper incrucietur, vt aſſolent facere muliercul æ, quæ in manicis, & veſtibus ſuis acus conſeruant, filo inuolutas: altera acus in medio ſpatio partium diſtātium eodem modo apteur: in tertia parte ſuperiori iuxta nares, ſimiliter conſtringendo, & adæquando, concinne adaptetur, ſicq. ſinendo, donec per-

ſectę coeant. Superius applicetur oui albumen cum aqua roſ. cũ-pe-tijs, vt diximus ſuperius, partem cooperiendo, ac tutando, donec partes vniantur ad inuicem.

Tertius modus talis erit, vt remoueatur calloſitas vtriuſq. lateris, & ſanguis vndiq. effluat. Statim partes diſtantes vniantur, & acu filum ducente ſuantur, incipiendo ab inferiori parte, deinde facto per idem foramen recurſu ex ea parte, qua venerat acus, erit recipienda: at filus remaneat vndiq; , & in vtraq. parte fili aptetur portiuncula bombicis aliquantulum intortę, tunc conſtringantur puncti, vt labia bene ſe contingant, ac eodem modo ſecundus, & tertius punctus aptentur: vt labia diſtantia optime vniantur. Hic tertius modus dici-

itur futura verrucalis: quia ab vtraque parte puncti remanet portiũcula bombicis repræſentans verruculam, ſeu floſculum: & hoc fit, ne ex filo, vel puncto quaſſetur caro. Alterum eſt, vt punctus arctius coſtringat labia vulneris. Poſſet loco bombicis in vtroq. latere accommodari pẽna gallinacea integra, & ſuper illam coſtringere punctos: aut apponere portionẽ pennæ anſerinæ, hinc inde perforatæ: vt ſimul, & ſemel acus tranſeat per foramen pennæ, & labiorum ad alteram pennam, ſic replicando bis, & ter, & quatenus opus fuerit. Aduertendum etiam eſt, quòd recurſus per idem foramẽ non eſt neceſſarius: poteſt enim vnica perforatione filo duplicato pertranſire labia: deinde cum ca-

pitibus filorum alligentur floſculi bombicis pennę tum perforatę, tũ non perforatę, aut aliud quodcunque: nam hoc pacto vulnus non refricabitur.

Poſt quartam debent aptari petiæ colla imbutæ in vtraque gena, vſque ad nares, permittantur exſiccari: deinde ſuantur arcte, vt partes diſtantes ad inuicem connectãtur, & ſinantur, donec optime vnite permaneant, remotis punctis, & reliquis.

Petia colla imbutę aptentur, & hinc inde exſiccata ſuantur.

Ex dictis modis primus cõmendatur in corpore duriori. Secundus autem, & tertius in corpore tenello. Poſt tertiam diem adhibeãtur collæ, & remotis punctis, vel acubus ſuantur collæ arcte: vt partes diſtantes pręſeruet vnitas, donec aſſequamur intentum. Colla

pare-

paretur hoc modo, ℞. ſercocollæ, mannæ, thuris, maſticis, farinę volatilis, gūmæ draganti, aña drach. 1. fiat puluis ſubtiliſſimus, & cum albumine oui optime quaſſato excipiantur, & fiat miſcella ad formā mellis. Vel ℞. ſanguinis draconis in lacryma, mannæ, thuris, ſercocollæ, maſticis, picis græcæ aña drach. 1. fiat puluis impalpabilis, & cum oui albumine incorporetur, & fiat colla. Partes ſic vnitę, nę inflammatione tententur, irrorentur continue aqua roſacea cum oui albumine quaſſata. Poteſt vniri pars cū puluere ex maſtiche, ſercocolla, manna, thuris, ariſtolochia, bolo fino, vernice, ſcriptoria, & huiuſmodi. Valet aqua vitis, quæ ardens appellatur. vinum rubeum aſtringens, in quo bulliat

roſa,& centaurea vtraque. Sed prę cæteris longe præſtat ſuccus, qui reperitur in veſicis vlmorũ: mirifice coſtringit aqua ſtillatitia ex a-rellis vinaceorum, vel ℞. roſ. rub. balauſti, nucum cupreſſi, coppularum glandium, ſecundę corticis caſtanearum, ſandalorum rubeorum ana, parum bulliant in vino rubeo pro lotione, & hæc ſufficiant ad vnienda labia diſtantia.

De Fiſtula ani. Cap. 4.

ANtequàm fiſtulæ ani curam aggrediamur, non erit præter inſtitutum noſtrum recti inteſtini anatome perſcrutari. Sciendum igitur eſt, rectum inteſtinum carnoſum eſſe, tribuſq. ſpeciatim muſculis conſtare, ex quibus vnus orbi-

Recti inteſtini muſculi tres.

orbicularis eſt in extremo recti inteſtini poſitus, qui grçce Sphincter appellatur; & latus potius, quàm craſſus dici meretur. Fibris tranſuerſis conſtat, & cum cute admodum vnitur a coccigis oſſe ligamẽtis mutuò acceptis. Hic muſculus non eſt adeo breuis, vt aliqui putauerunt; immo per duo digita ab intra progreditur, & caput inteſtini circũquaq. amplectitur, & anuli more rotundus eſt, vt patet, in quibus aliqua occaſione fuerit diuiſus. Hi enim non adeo de facili, vt prius, fçces retinent, nec eis inuitis exeunt: ſat eſt ſcire huius muſculi officium eſſe, recte rectum inteſtinum claudere, ne fæces exeant. Reliqui duo muſculi lati quidem ſunt, ſed graciles cumq. ab oſſis ſacri ligamento, atq. ab ille initium

ſumpſerint, in partem ſuperiorem huius prædicti muſculi terminantur. Hoc vſu a natura producti, vt alter vna cũ muſculis abdominis, & fæces, excrementa, & ventoſitates ad extra tranſmittat. Alter autem vna cum ſphincter circularis, muſculus appellatus, ad intra inteſtinũ retrahat, cum foras exierit; & ſimul prohibeant; ne nobis inuitis excrementa exeant; & quilibet horum duorum muſculorum a ſuo latere cõplectitur rectum inteſtinum, inſerunturq. in eius externa parte. Is muſculus latus, qui inteſtinum ſurſum retrahit, & conſtringit, & eſt ſupra anum per duo digita a Paulo Aegineta lib. 6. cap. 78. ſphincter etiam dictus vim habet coſtringendi ani muſculum. Eſt autem virtus hæc vna de quattuor,

tuor, quas prudens natura membris contribuit principalibus: ambo eodemq; officio funguntur, ſed hic magis. Si inquam morbus, de quo locuturi ſumus, eum obſederit, nullo pacto operatio ſectoria eſt admittenda: quoniam inuoluntaria ſtercoris excretio ſequeretur, & eſſet error peior priore. Dicebat enim Paulus loco citato, loquendo de fiſtulis ani, Nonnulli ſiquidem rudius, dum in alto ſectionem molirentur, ipſum conuulneraucrunt, atq; inde inuolūtaria ſtercoris excretio homini accidit. Concluditur ab omnibus Doctoribus, quòd, ſi fiſtula penetrauerit ſupra medium muſculorum ani, non curetur chirurgia, eo quia peior ægritudo ſequeretur, quæ eſſet inuoluntarius digeſtionis exitus. Melius

Si muſculus q inteſtinū retrahit, vulneretur fęces inuolū tarie exeūt

lius ergo erit, vt palliatiua curatio adhibeatur: vera enim cura iactum eſſet infirmorum, & dedecus Medicorum.

His prælibatis, quæ maximi sũt momenti, pro vera curatione diſtinguendum erit, quæ ani fiſtulæ veram curationem admittant, quæ autem non. Ani igitur fiſtulæ quędam penetrant intra inteſtinum, quædam non: quæ penetrant, aut ſunt infra medium muſculorũ, aut ſuperius: quæ autem non penetrãt, aut incedunt iuxta inteſtinum per quattuor digita, & ibi finiunt: aut tendunt ad alia loca. quę autẽ tendunt ad alia loca, tortuoſæ, & laberinti modo flexuoſæ ſunt, ac quæ veſicæ ceruicem perforauerint, aut quæ ad femoris articulum tendũt, vel quæ ſupra mediam dictorum duo-

duorum muſculorum regionem incedunt, inſanabiles ſunt penitus ex conſenſu omnium Doctorum. Reliquæ verò curabiles. Cauſæ harum fiſtularum ex Hippoc. libro De fiſtulis. circa principium, erunt hęc: qui inquit, Fiſtulę fiunt quidē ex contuſionibus, & tuberculis; fiunt autem & ex remigatione, ac equitatione, cum in natibus congregatus fuerit ſanguis prope ſedem: putreſcens enim diſtribuitur ad molles partes, nimirum cum inteſtinum rectum ſit humidum, ac caro mollis, in quam diſtribuitur, donec tuberculum eruperit, & deorſum ad rectum inteſtinum computruerit. Poſtquàm hoc factum fuerit, in fiſtulam abijt. Principijs ſiquidem obſtandum; nam cū tale quoddam tuberculum naſcens *Cauſę fiſtularum.*

æger

æger ſenſerit, crudum quàm citiſſime ſeçare oportet, priuſquàm ad rectum inteſtinum ſuppuretur, & diligenter curetur, ne in fiſtulam tranſeat.

Signa fiſtularum.

Signa fiſtularum huiuſmodi partis ſunt dolor, & purulenta humiditas, grauedo, durities circa anum, præceſſio dictarum cauſarũ, & clauſa recidiuatio. Significatur, quò nam progrediatur fiſtula, cum ſpecillo plumbeo, candela cum fiſtucis petroſellini, maluarum, & cum ſpecillo argenteo, & reliquis. Signũ, quod perforet rectum inteſtinũ, habetur per exitũ fęcis, & flatus: lumbrici, & abominatio multa exit. Cognoſcitur etiam per immiſſionẽ ſpecilli per fiſtulam, & digitum lenitum per anum, qui occurrunt ſeſe: & in his,

quæ

quæ perforatæ non ſunt, inſtrumentum digito non ſtatim occurrit; ſed obſtat in medio corpus nõ perforatum: ſi corpus muſculorum obſederit, difficulter digitus conſtringitur, & fęces retinent: ſi ad veſicam tendant, vrinæ difficultas ſequitur: ſi autem ad alia loca, ſpecillum indicabit.

Prognoſticum. Fiſtula, quę penetrat, & non elongatur ab ano per quattuor digita, aut quæ non penetrat: ſed incedit in carne iuxta anum, & non multum prolongatur ab eo; ſine timore facile curantur chirurgia ex Hippoc. ſententia lib De hæmorrhoidibus circa principium. ſic dicentis; Rectum inteſtinum, & ſecans, & reſecans, & conſuens, & vrens, & putrefaciens, etiam ſi grauiſſima hęc

Prognoſticum.

Rectũ inteſtinũ grauiſſimas ſuſferre operationes.

eſſe

eſſe videantur, nihil læſeris. Cæteræ autem palliandæ, & vera cura nullo modo tentanda: nam qui illam tentare voluerunt, mortis cauſa fuerunt infirmorum, & dedecus Medicorum.

Cura fiſtulæ huius duplex habet regimen, vniuerſale ſcilicet, & particulare. Vniuerſale conſiſtit in ſex rebus non naturalibus, in aere ſcilicet, cibo, & potu: motu, & quiete: inanitione, & repletione: ſomno, & vigilia, & animi affectibus: quæ ſemper præmittendæ ſunt.

Cura particularis. Particulare autem regimen alacriter exequemur, quia timor in chirurgia medendi tarditatem affert, ita quod vlcera contabefacta hominem enecent. Quare audacia, ne dicam feritas, in chirurgia miſericordia potius venit appellanda.

da. Timiditas contra cędes hominum ægrotantium a me iudicatur. Itaq. firmo pectore, neq. manu tremente, chirurgica opera aggredi medicum debere, dictum vetus eſt ſapientum. Item, & qui curantur, audaces eſſe debent in curatione vlcerum ſuorum. Quapropter, patefacto orificio cum turunda de gentiana, ariſtolochia, aut ſpongia exſiccata, & ad vſum adaptata, & ſimilibus, curabitur per inciſionem cauernæ, & combuſtionem cum ferro ignito, vt dictum eſt. Cauendū ſemper, quòd hic locus propter eius naturam indiget maiori infrigidatione, & inhibitione, quàm cætera loca.

Medicus prudēs, & æger intrepidus ad opus requiruntur.

Commendatur actuale cauterium: quia citius callum adimit, exſiccat, partem firmat, nec ad locū ma-

Actuale cauterium cęteris remedijs prę ſtantius.

materiam trahit. Ad exequutionem veniendo, prout deſcribitur à Paulo Ægineta lib. 6. cap. 78. ab Aetio ſermone 14. cap. 21. & ab Hippocrate lib. De fiſtulis. hoc modo videlicet.

Reſupinato ægrotante ſupra lectum, genuis retractis, & alligatis manibus cum pedibus, ſic vt vola manus pedum volam contingat, capite reflexo verſus humeros, a miniſtris hinc inde genua firmentur, ne in opere vſquam moueantur, loquendo de fiſtula penetrante intra inteſtinum, quę habeat cõditiones ſuperius deſcriptas. Digitus index, vel medius linitus intromittatur in ano; & noſtrum fiſtulare inſtrumentum per fiſtulæ orificium introponatur, ſic vt digitum occurrat, qui ſpecilli caput

arri-

arripiat, illudq. reflectendo foras educat, atq. corpora, quæ incumbunt fiſtulare inſtrumentum, quod & ſpecillũ vocamus, ſimplici diuiſione liberabimus, inciſioq. fiet ab vno orificio ad aliud, extrahendo per anum punctam, ſeu cuſpidem inſtrumenti; diligenter ſecando, ne lædantur hæmorrhoidales venę. Deniq. actuali cauterio locus ferro igne flagranti inuratur, prout affectus expoſcere videtur. Deinde cruſta liniatur vnguento roſaceo, & vlcus cum ſtuppis oui vitello, atq. albumine quaſſatis, imbutiſq. cooperiatur, & ſic dimittatur vſque mane. Mundificetur poſtea locus cum infraſcripto vnguento, videlicet ℞. olei abietini vnc. 1. ſucci appij, rodomellis aña drac. 2. myrrhæ, ſercocollę, boli fini aña ſcrup.

2. fiat miſcella, & cum filamentis applicetur. Superius in circumſitis partibus imponatur ceratum de diapalma, aut de minio, vel de lithargyrio. Abluatur ſæpe locus cum vino rubeo, in quo bulliant myrthilli, roſæ, plantago, centaurea minor, mirabolani citrini, ac parum aluminis rocchæ, rodomelliſq. portiũcula poſtremo addatur.

Multa præterea remedia pro huiuſcemodi curatione fuerunt excogitata a doctoribus; quæ non ſine ingenti ægrotantium dolore, & noue apoſtemationis periculo tentari poſſunt.

Primū remedium. Primum eſt per laqueum fili, vel pili, & eſt Hippoc. loco citato, quod reprobatur a Petro de Argellata. *Secundum.* Secundum per filum linitum forti medicamine, quo ſeparetur

fiſtu-

fiſtula ab vno orificio ad aliud. Poteſt etiam parari filum ex cordis teſtudinis, quæ leutum, vulgo dicitur, vt ne dicam ex cordis cytharæ, vel ex cordis æris decocti.

Tertium erit per ſeparationem candenti ferro, immiſſo prius filo per fiſtulam cũ acu plumbea, cauterizationem faciebant, donec filum ab vno ad aliud orificiũ fiſtulæ pertranſiret: & deniq. ex duobus orificijs vnum efficeretur. Notãdum ſemper, vt fuit ſuperius dictũ, quòd, ſi fiſtula penetrauerit ſupra inteſtinũ per quattuor digitos, elongando ſe ab ano, nunquam curetur per chirurgiam. *Tertium.*

Placebit Hippocraticam curationem per filum deſcribere duobus rationibus, altera erit propter venerationem tanti viri, altera ve- *Curatio Hippocratica.*

rò, quia apud multos plurimum eſt in vſu. Et licet reprobetur a Petro de Argellata, approbatur ab Albucaſi: hoc modo ab Hippoc. deſcribitur. Crudum filum tenuiſſimum accipito, & ad palmi longitudinem, vel plus quinctoplicato, & pilum equinum circundato, deinde, facto ſpecillo ſtanneo in ſumma parte perforato, & initio complicati in ſpecillum immiſſo, ſpecillum in fiſtulam dimittito, & ſimul ſiniſtræ manus digitum indicem in ſedem indito: vbi verò ſpecillum cõtigerit digitum in flexa ſummi ſpecilli parte, initium lini, quod eſt in ſpecillo, per digitum adducito, & ſpecillum quidẽ rurſus extrahito: lini verò initia bis, aut ter connectito, & reliquam lini partem intortam adne-

xum

xum deligito: poſtea verò dimiſ-ſum, negocia ſua ſubire iubeto. Cæterum quãtò putreſcente fiſtula de lino laxatur, tàntò augere oportet, ac intorquere ſemper ſingulis diebus. Si verò linum crudũ computreſcat, priuſquàm fiſtula corrcdatur, aliud linum ad pilum innecte, ac connecte: pilus enim ea de cauſa ad crudum linum additur, ne putreſcat. Hactenus Hippoc. Alius facilior modus eſt, ſcilicet per foramen fiſtulę intromittatur acus plumbea, in capite cuius ſit laqueum de quattuor filis, vel plus: poſtea cum digito linito in ano immiſſo, ipſius acus caput reflexum per anum ducatur, & foras acus extrahatur: ſed filũ remaneat. Quod paulatine quotidie cõſtringatur, donec ex duobus orificijs

Poſtremus modus facilior.

ſcilicet a fiſtula ad anum, vnum efficiatur. Inciſo, ſeu diuiſo toto eo, quod a laqueo conſtringebatur; cauterizatoq. ſi ſit opus; locus mũdificetur, & incarnetur, & ad cicatricem ducatur, vt ſupra dictum fuit. Si autem fiſtula non penetrauerit inteſtinum: ſed incedat in carne iuxta dictum inteſtinum, nec admodum profundetur, ferro ignito cauterizetur: deinde eſchara, butyro, vel exugna porcina remoueatur; mundificetur cum vnguento apoſtolorum, & cum cærato barbaro, vel de diapalma incarnetur; & deniq. cum muria, vel aqua aluminoſa cicatrizetur; at ſi pars phlegmone tentetur, deueniatur ad ea, quæ phlegmonem curant. Et completum eſt hoc capitulum ad laudem Illius, qui noſtros

ſtros ſanat languores. Cuius Nomen ſit benedictum in ſecula. Amen.

De vena varicoſa, & elephantia. Cap. 5.

Varix, auctore Gal. 14. Methodi, cap. 22. eſt vena dilatata in cruribus, aut alijs corporis partibus; & vt plurimum vena varicoſa incipit dilatari ſupra genu per quattuor digitos in parte domeſtica, & extenditur per totum crus ad talum vſq., vlcuſq. magnũ, cauum, ſordidum, & cum fœtore excitat. Quod continua vexatur deſtillatione. Quare difficulter cõſolidatur, cum habeat cauſam, Sine qua non, nempe humorum deſcẽſum per venam illam adapertam. *Varix quid.*

Hic morbus afficit vt plurimum curſores, viatores, onera portantes, & coram Regibus aſtantes. Cauſantur ex ſanguine craſſo, melancholico, atq. phlegmatico, & aduſto: qui propter eius multitudinem, aut propter magnos labores, ac membri debilitatem, vel ob magnam caliditatem ex motu attrahente venas replet, & varices parat. Sequuntur etiam aliquando ex ægritudinibus acutis, in quibus materia ad locum depellitur, & eò maxime in corporib⁹ ad illud paratis, vt habemus ex Auicéna lib. 3. fen. 12. Textu p. cap. 15.

Varicum cauſæ.

Sig.

Signa clara ſunt, nam venę illę contortę ſunt ad modum vitis, oblique, & tumidę, ad vuę, & fabę inſtar. & qui ſic affecti ſunt, difficulter mouentur, prępertim in cur-

ſu,

ſu, in itinere, & in quolibet alio motu. ex colore aute, quo humore venę illę refertę ſint, deprehenditur: nam ſi pallidiores venę fuerint, ex phlegmate: ſi nigræ, ex atro humore: ſi rubicundiores, ex puro ſanguine.

Iudicium. In habentibus ſplenem induratum, aut hepar male affectum, aut paratis ad hydropé, cachecticis, & melancholicis, non ſuſcipienda horum curatio per chirurgiam; nam iactura eſſet infirmorum, & dedecus Medicorum: illudq. Gal. dictum lib. 2. ad Glauconem proferre potuiſſemus, nempe, Morbum carauimus; hominem autem necauimus. Quare horum curatio non ſuſcipienda. In alijs autem tutò per chirurgiam explebitur curatio, & facilis iudicatur.

Iudicium.

catur. Quare, ſi affectus ſit recens, & a principio, cura per topica remedia tentanda; nempe euacuando vniuerſum corpus, materiam fluẽtem diuertendo, membrumq. mãdãs corrigẽdo, ac particulã patientẽ corroborãdo ante applicationem particularium; quod totũ a docto Medico executioni demãdetur. Demum pars affecta refrigerantibus, & conſtringentibus corroboretur; vt puta cum decocto roſarum rub., myrtillorũ, balauſti, nucũ cupreſſi, gallarũ, plãtag. ſumac, addita camumilla; cũ defenſiuo ex bolo armeno per crus extenſo; cum argilla aqua roſacea diſſoluta, per totum crus extenſa. Vlcus autem curetur ſparadrappo rubeo Ioannis Vigonij, cærato de lithargyrio, de ceruſſa, de mi-

nio,

nio, vnguento de plumbo, de tutia, cum lamina confecta ex plumbo, & hydrargyro. Crus ſit expulſiua ligatura inuolutum, aut gerat cothurnũ ex corio canino, arte fabricatum, vt ęqualiter vniuerſum crus conſtringat, ne humores pertranſire valeant. Cum autem affectus ſit contumax, nec dictis remedijs cedat, ad chirurgiam confugiendum, docta manu adminiſtratam. Situetur igitur Patiens in loco commodo, & crus extenſum firmet, immobileq. præſtet. Signetur varix, ſeu vena adaperta ſupra genu per quattuor digitos in parte domeſtica, conſtringaturq. in parte ſuperiori, & ſurſum ſanguis impellatur, vt locus ſignatus tumeat, & a miniſtro ſic tumidus præſeruetur, tunc a chirurgo leui-

ter cutis incidatur, & excorietur, vt vena varicoſa in coſpectum appareat. Illicò acu filum duplicatũ ducente vena conſtringatur, cauẽdo, ne vena frangatur: quod euitabitur, ſi a parte fili ſub vena acus imponatur, & filo vas alligetur, arctéq. conſtringatur, & vena per digitum infra ligaturam tranſuerſaliter incidatur, & cauterizetur. Poſtmodum eleuetur crus, & ſanguis euacuetur per impulſionem orificium verſus. Sanguine euacuato, cauterizetur alia pars venæ inferna, & impoſito ſupra partem cauterizatam vnguento roſaceo, permaneat vinculum in vena alligatum, donec ex ſe excidat: albumine, ouiq. vitello quaſſatis locus cum ſtuppis exceptis muniatur. Apponatur defenſiuum, vel poſca

in

in parte ſuperiori ad refrigerādam partem; viaſq. conſtringendo, ne humores deſcendant. Vlcus curetur ſarcoticis, ideſt incarnantibus, nempe ariſtolochia, ſercocolla, irics, manna; thuris, &c.

Cum vnguento raſino, de minio, de gumma elani, cerato de diapalma, barbaro, & de cæruſſa, &c.

Curatio venæ varicoſe in ſcroto fiet, Situato patiente in ſcamno, in loco claro, porrectis pedibus, ligatiſq. manibus, & pedibus, ſi æger fuerit puſillanimis: ſignetur locus in capite ſcroti iuxta inguina: deinde miniſter conſtringat manibus venam a parte ſuperiori: Medicus autem a parte inferiori ſurſum impellat ſanguinem, qui intus continetur, & illicò cutem incidat, paulatim diuidendo, donec in conſpe-

ctum

ctum vena appareat: demum vnco apprehenſa excorietur, & acu filum ducente apprehendatur, conſtringaturq. arctè filo duplicato: poſtremo infra ligaturam tranſuerſaliter vena incidatur, & ſanguis infernus euacuetur, & capita venę cauterizentur actuali cauterio, dimiſſo filo ligaturæ: locus aduſtus butyro, vel exugna liniatur, & vitello oui cũ albumine quaſſato locus foueatur, & dimittatur ad ſequentem diem. Curetur poſtmodum locus eſcharoticis per duas vel tres vices: incarnetur cum ſarcoticis ſupraſcriptis, & conſolidetur cum ſplenijs vino imbutis, & de hoſſatis.

De

De Tumore flatuoſo ſcroti. Cap. 6.

TVmor flatuoſus ſcroti, quam Herniam ventoſam appellãt, eſt repletio burſæ teſticulorum ex flatuoſo ſpiritu: quæ flatuoſitas vt plurimum aſſociatur cum portione humoris aquoſi.

Cauſa huius flatuoſi tumoris a mala gignitur ventriculi, & hepatis coctione propter debilitatem caloris ad hoc diſpoſita, vt Gal. aſſerit de ſyntomatibus morborum. Generatur, inquit, in humoribus phlegmaticis, & cibis in vaporem reſolutis a caliditate egena flatuoſus ſpiritus.

Signa ſunt repentina loci inflatio, & lenitas cum reſiſtentia, & ſplendor cum claritate, ſonans, vt

vter, dum percutitur, nullam prę-ſtans grauedinem. Colligitur etiá, quòd patiens ſit aſſuetus pati flatuoſitatem ambulãtem per totum corpus, vel deliquerit in ratione victus per aliquos dies, aſſumendo ea cibaria, quæ flatum gignere apta ſunt: ſit quomodocunq. Curatio hęc nunquàm cum ferro tentari ſolet, verum ſemper localibus, & alijs medicaminibus. Quare paretur clyſter ex decocto rad. apij, feniculi, camumillæ, aniſorum, foliorum ebuli, cumini, & addita vnc. med. hieræ pigræ: drach. 3. electuarij de baccis lauri; oleorum rutacei, anethini aña. vnc. 1. med. ſalis parum, fiat clyſter, quo reiecto, applicetur ventoſa magna ſupra vmbilicum: exhibeatur confectio diacimini, vel dianiſi, aut

de

de baccis lauri. aut ℞. ſpetierum diacimini, dianiſi aña ſcrup. 1. ſpetierum electuarij de baccis lauri drachm. 1. ſpetierum diagalangæ drach. med. ſem. carui, ſem. dauci, ſem. aniſi, feniculi aña ſcrup. med. foliorum rutæ, ſem. appij aña ſcr. 1. cum ſaccharo diſſoluto in ſucco feniculi fiat confectio in rotulis ad vſum.

Localia verò, quæ applicanda veniunt ſupra locum affectum, hęc erunt videlicet. Et primo fiat ſacculus ex panico, milio, ſale torrefacto, furfure, folijs rutæ, ex cumino, camumilla, & cinere calido, &c. vel fiat hoc cæratum, ſcilicet ℞. camumillæ, mellıloti aña drach. 1. med. mentaſtri, ſaturegiæ, aſſari aña drach. med. ſem. aniſi, feniculi, rutæ, cumini, dauci, aña dr. 1.

cardamoni, myrrhæ, caſtorei aña ſcrup. 1. olei rutacei vnc. 3. olei anethini vnç. 1. med. reſinę pini, & cęrę q. 5. pul. pulverizãdis fiat cęratum: vel fiat emplaſtrum ex ſtercore bubulo pul. cum cumino, & farina fabarum: aut ex ſtercore caprillo pul. & ex pul. foliorum ebuli cum ſapa exceptis, & ad ignem formetur emplaſtrum. Valet emplaſtrum de melliloto. Folia ebuli, vel ſambuci elixata in imbrice cum vino, ſi frigantur in tegula, valide conferunt. Aut fiat placenta magna ex farina milij, vel farina hordei addita quarta parte ſulphuris, & cumini pul. & cum aqua ardenti impaſtentur: ſub cineribus decoquatur, & applicetur loco affecto, diuiſa per latitudinem. Cauendum, ne aduratur, quia aqua ar-

ardens de facili accenditur. Ex di-ctis ſimplicibus poſſunt parari fo-tus, emplaſtra, & diuerſimode ap-plicari ad flatus diſcutiendos. Vnũ præcauendum, quòd, ſi humidi-tas excederet flatuoſitatem; tunc tutò, & rationabiliter poſſet locus ferro candenti perforari, & ſimul, & ſemel flatum, & aquoſitatem e-ducere.

De Hydrocele, ideſt aqua in ſcroto. Cap. 7.

HAbita flatuoſi ramicis curatio-ne, par eſt, vt de aquoſo tu-more ſermonem faciamus, vtpote qui ſæpius ad inuicem concomi-tantur, & præcipue in pueris. Et eſt in duplici figura; aliquando e-nim occupat totum ſcrotum, & eſt

tantæ quantitatis tumor, vt excedat pōdus decem librarum, vt ego proprijs oculis vidi, & curaui. Nonnunquam non replet totam burſam; ſed inter chartilagines, ſeu membranulas incluſa excitat tumorem rotundum ad oui inſtar: qui manibus impellitur vſq; ad inguina, vt ſi eſſet teſtis, ſępius etiam in magnis frigoribus ad inguina recedit, ac pauco temporis interuallo per idem foramē vnde egreſſa fuerat, regreditur. Quare aliqui decepti putauerunt, ramicem fuiſſe inteſtinalem, & ad inciſionē deuenerunt, dico ad caſtrationem, pro tumoris curatione cum ægrotantis iactura, propter membri diſpendium, & Medici dedecore.

Ne decipiaris, lynceis oculis inſtandum.

Cauſa hydrocelis.

Hoc apoſtema fit ex materia phlegmatica, aquoſa, ſubtili, & a de-

debilitate virtutis digeſtiuæ, pręcipue in hepate, ſi ab antecedenti fiat cauſa: ſanguis enim alimenti ratione ad hepar aduectus in aquoſam, ſeroſamue, & inutilem ſubſtantiam mutatur. Notæ ſunt tumor indolens, firmus, & ſtabilis in ſcroto, nec euaneſcens, niſi paruus fuerit, vt ſuperius dictum fuit, aggrauans, renumq. dolorem præſtans, ſplendens, ac lucidus, qui paulatine aggregatur: at verum aquæ in ſcroto inditium demonſtratur per lucidiratem hoc pacto. Reſupinato patiente in loco obſcuro, ſubleuetur tumor ſcroti, & in parte aduerſa iuxta tumorem apponatur candela accenſa, & apparebit totus tumor lucidus, & tranſparens. Cognoſcitur etiam, quando magnus eſt tumor, per inundationem, ſi ma-

nibus percutiatur tumor. His cognitis, ſi affectus fuerit in puellis, vel dimittatur onus naturæ; nam vt plurimum nulla medica ope reſoluitur: aut deueniatur ad infraſcriptum fomentũ videlicet ℞. roſ. rub. nucum cupreſſi, balauſtiarum baccarum lauri, calami aromatici, cumini aña. m. 1. aluminis rocchę drach. 2. cum vino rub. vel forti lixiuio bulliant, & cum ſpongijs fiat fomentum: deinde applicetur hoc emplaſtrum videlicet.

℞. ſtercoris bubuli, ſtercoris caprini pulueriżati, farinæ fabarum aña vnc. 4. pul. camumillæ, foliorum ebuli aña vnc. 1. cumini vnc. med. cum melle, & ſapa fiat emplaſtrum ad ignem, continue agitando, donec deueniat ad formam paſtæ; & vtitor. Folia ebuli, vel sã-

buci,

buci in tegula cum optimo vino frixa aquam reſoluunt.

Cura verò in viris, & vbi aqua fuerit confirmata, tentabitur per ſectionem, euacuationem, inuſtionem, & per, quæ ſequuntur, operationes. Et prima deſcribitur ab Auic. quam plurimum laudo; hæc enim tutior eſt, & reſpicit nedum præſentem morbum, ſed futurum euentum, palliando, cum vera, & totatilis cura minetur interdũ hydropem, niſi membro mandanti prouideatur, & eius vitium corrigatur: ſecus contingeret Gal. dictũ ad Glauconem, Morbum ſcilicet curauimus: hominem autem necauimus. Competit ergo bis in anno, ſcilicet vere, & autumno ſcrotum perforetur phlebotomo, & caute educatur aqua, cauendo a teſticuli

punctione, & læſione. Aqua caute educatur, totaq. educta, applicetur ſtuppa imbuta ex vitello, & albumine, vel vitello oui, oleo roſ. conquaſſato: & vnica medelæ applicatione ad propria dimittatur negotia.


Si autem dubitatur, ne vitium reuertatur, præmiſſa purgatione, & cautela præſcripta, duobus modis cura tentari poteſt. Primus eſt Galeni. Secundus Pauli Æginetæ.

Cura ex Gal. Galenus ergo 14. Meth. cap. 13. proponit ſiphonem, ideſt ſetonem, quem laqueum ſericum dicimus; & inter bonos practicantes plurimum eſt in vſu. Situetur ergo patiens ſupra lectum, vel ſcamnum, ligatis manibus, ac porrectis pedibus; deinde eleuato ſcroto, ſignetur locus, vbi laqueus imponen-

dus

dus erit, ſcilicet a medio burſæ ad teſticulũ excluſiue; qui nullo modo lædendus erit; quia illius punctio, & oftenſio eſſet valde timoroſa. Signatus locus, perforetſ in parte inferiori, & aqua educatur: qua educta, cum ferro ignito, quod ſit ad inſtar acus acuminatum, & in extremitate ſit perforatum, vt laqueus infigi poſſit; locus perforetur, & cauterizetur ab orificio ad locum ſignatum, & laqueus dimittatur per quadraginta dies; cuius inſtrumenti forma talis erit.

Im-



Impoſito laqueo, orificia cauterij

liniátur cum vnguento roſaceo, & totũ ſcrotũ cooperiatur cũ ſtuppis imbutis oui vitello, atq. albumine, addito oleo roſ. & dimittatur ad ſequentem diem.

Poteſt hæc operatio fieri abſq; igne cum phlebotomo, habente caudam perforatã: nam vnica vice educitur aqua, & imponitur laqueus, ſeu bindellum, vt nos facere cõſueuimus, & bene ſuccedit.

A Paulo lib. ſexto. capite 62. ſic deſcribitur curatio, videlicet, Situetur patiens ſupinus, & firmatis manibus, ne opus impediatur, ſignetur locus a ſummitate ſcroti, vſq. ad medium burſæ: deinde miniſter manum comprimat a parte inguinis, ne aqua ad intra recurrat; Medicus autẽ ſurſum burſã impellat, vt locus tumeat: tunc raſorio bene *Cura ex Paulo.*

inci-

incidenti a ſummo, deorſumq. incidatur locus ſignatus, & aqua tota educatur, & illicò ferro candenti retorto locus cauterizetur, replicando, ſi opus fuerit, vt vndiq. calloſitas aduratur, adimaturq. & caro intro concreſcat, ac vniatur ſic, ne aquæ amplius pateat aditus. Contingit interdum, vt eadem aquoſitas deſcendat per alium didymum, & tranſcoletur in priori loco. Quare fui coactus, ne aqua aliàs locum occuparet, deuenire ad aliam operationem, nẽpe cauterizare totam burſam circulariter in tribus locis cum ferro lunato; vt corrugetur ſcrotum, nec amplius tumeat, hac cautela, ne teſtis lædatur. Remoueatur eſchara deniq. butyro, exugna, oleo roſaceo, oui, & vitello quaſſato cum folijs caulium.

lium, vitum, hederæ per plures dies: poſtremo incarnetur locus cũ cærato de diapalma, de cæruſſa, barbaro, vnguento de minio, raſino, & huiuſmodi.

De *Hernia tophacea*. *Cap*. 8.

TVmor ſcirrhoſus, tophacea durities, quam Herniam carnoſam, recentiores vocant; teſticulos occupat, & paulatine augetur taliter, vt interdum ad ingentem molem deueniat, grauedinem, ac renum dolores maximos præſtet. Hic tumor ſubſequi ſolet ex humorali hernia calida, vel frigida, vel ex ſuppreſſione gonorrhoeę: fit & a cauſa latẽte, teſticulo fluxionem, ſcirrhũq; experto, aut ex ictu, vel imperitia male curati *Cauſa*.

tumoris.

Signa. Cognoſcuntur per duritiem, & colorem, vbiq. ſui ſimilem, & longo tempore perdurantẽ abſq. diminutione, & cum tangitùr vniuerſa moles, mouetur, nec ad lumen accenſę candelæ aliquid lucidi trãſparet, vt aſſolet in hydrocele; dolorem exhibet aliquando pungitiuum cum attractione a renibus, in quibus perpetuò grauatiuus perſentitur dolor. His cognitis, antequam Chirurgiam aggrediamur, debemus præmittere hanc cautelam; quę eri talis, vt cõſideremus, an durities totum didymum ad inguina vſq. occupauerit; quia in hoc caſu affectus eſſet incurabilis, & diceretur hernia nerualis, & verrucalis, cuius ſpecies nullo pacto tentanda foret; neruus enim

ſic

ſic induratus neq. manu, neq. medicamento curari debet; quia melius eſt nõ curare, quàm curare; curati enim citius pereunt, & poſt operationem hęc conſequi ſolent, nempe febres ardentes, & aut virides, aut nigri vomitus, præter hæc ingens ſitis, & linguæ aſperitudo, fereq. a die tertio ſpumãs bilis, atque neque aſſumi facile cibus, neque contineri poteſt; neq. multo poſt extremæ partes frigeſcunt: tremor oritur: manus ſine ratione extenduntur; deinde in fronte frigidus ſudor, eumq. mors ſequitur. Quare aliam ſpeciem hernię curare inſinuamus: quæ talis ſit, vt ſcrotum, ſeu burſam non tranſcendat, nec ad inguina tumor perueniat: ſed didymus iuxta inguina in principio ſuæ ſuſpenſionis ab illa

Hernia tophacea burſã non excedẽs curabilis.

la-

labe ſit immunis. Cum hernia taliter ſe habeat, per inciſionem curari poteſt iuxta Pauli Æginetæ ſẽtentiam lib. 6. cap. 64. & Cornelij Celſi lib. 7. cap. 23. ſic inquientiũ, Caro quoq. ſi quando inter tunicas cõcreuerit, nihil dubij eſt, quin eximenda ſit: ſed eo ipſo ſcroto inciſo, fieri commodius eſt; hoc idẽ experientia dictat; vana quidem in hoc topica ſunt remedia, & potius morbum excandeſcere ſinunt, quã aliquam ex eo minuant portionẽ.

Itaq. pręmiſſis vniuerſalibus, ſi corpus cacochymum, vel plethoricum fuerit, de periculo prædicendum in difficili rem eſſe; ſequitur enim interdum poſt ſectionem cõuulſio hæmorrhagia, vel aeſtiomenum: quę hominem de vita tollunt. His igitur prædictis, ac pręmiſſis,

miſſis, ad opus deueniendo, ſituetur patiens ſupra tabulam, vel ſcãnum capite aliquantulum inclinato, ligatiſq. manibus, ac pedibus, vt nuſquam dimoueri poſſit, nec opus impediri; tunc ſignetur locus incidendus a ſummo ad extremũ, vt tota tophacea durities in coſpectum appareat, quæ ſeparetur a burſa, ſeu ſcroto vnguibus, vel raſorio diligenter, & in parte ſana didymus cõſtringatur arctè filo quadruplicato: deinde tota carnea moles tranſuerſaliter incidatur, ac actuali cauterio optime didymus inuratur, & cruſta inducatur, dimittendo filum, donec per ſe excidat. Adæquentur deniq. labia burſæ, ſeu ſcroti, & ſuantur, vt bene coeant, & vniri poſſint, relinquendo in fundo orificium cum

V tu-

turunda, vt inde humores effluere cõmodè poſſint: cooperiatur locus ſtuppis ouo quaſſato imbutis; ligatura firmet, & ſic ad ſequẽtẽ diẽ dimittatur; procuretur remotio eſcharæ butyro, vel exugna ſuilla, vulnus, & ſutura curetur oleo abietino per aliquos dies: circũſitę partes liniantur oleo roſ. vel lumbricato. Remota eſchara, vniatur vulnus cærato de diapalma, vel barbaro magno, vnguento raſino, vel de gũma elemi, vel ſplenijs vino imbutis, in quo bulliat rad. conſolidę, roſa, hypericon, centaurea minor, camumilla, addita portiuncula aluminis rocchæ, in vino rubeo. Et hæc erit vera huius affectus curatio. Sunt cætera nugæ; crede mihi.

De

De Hernia inguinis. Cap. 9.

RAmex inguinis, quem crepaturam vocant, eſt paruus tumor in principio in inguine cũ aliqua pũctione, & aliquãdo cũ dolore obtuſo, & grauatiuo: q; , reſupinato patiente, retrocedit: ſi ſurgat, & tuſſiat, illicò extrà eminet: nõnũquam formicas ambulantes in loco perſentit. Et hoc indicat principium perfectæ crepaturæ: nam relaxato peritonæo, ſi perſeueret affectus, altera frãgitur chartilago; qui duo panniculi arabicè appellantur Mirac, & Sifac, & inteſtina ingrediuntur didymum, & per illud in ſcroto deſcendunt; & hæc dicitur completa hernia inteſtinalis, vel crepatura: quæ chirurgia curatur per in- *Ramex inguinis quid ſit.*

ciſionem didymi, & teſticuli remotionem. De qua non intendimus loqui: ſed duntaxàt de ea crepatura, quæ eſt in principio, & non adhuc inteſtina in ſcroto deſcẽdunt, & ſolis remedijs abſque chirurgia curari poteſt. Cauſæ huius ramicis interdum externæ ſunt; aliquando internæ. Dum igitur erit in principio ramex paruus, & præſertim in puerili ætate, ac etiam in iuuenili, localibus remedijs curari poteſt. Quare, ordinato congruo victus regimine, euitãdo repletionem, & cibaria ventoſa, vt fabas, faſeolos, olera, caſtaneas, paſtacea, & huiuſmodi cibaria, euacuetur corpus clyſterijs, locuſq. abradatur; patiẽs in lecto quieſcat, & inteſtina in propriam ſedem reponantur: deinde foueatur locus hoc fomento, ℞.

Rami ingui nis cauſa.

℞. rad. conſolidę maioris, tiphę, gallarum immaturarum non perforatarum, nucum cupreſſi, balauſti, coppularum glandium, corticũ internarum caſtanearum, granorũ iuniperi, caudæ equinæ, q. S. bulliant in vino auſtero, addito tantillo aceti, & cum ſpõgijs fiat fomẽtum pluries; deinde applicetur cęratum de pelle arietina extenſum ſupra corium, & cum ligatura concinna firmetur locus: quã ligaturã Bracalectum vocant: remutetur ſemel in ſeptimana, cautè tamen, ne cutis eleuetur, & peritonæum contrahatur, & inreplicatione cærati replicetut ſimiliter præſcriptum fomentum, ſic reiterãdo per quadraginta dies: ligatura autem maneat die, noctuq. per ſex menſes hac cautela, vt motum, præſertim

violentum, euitet ſemper, & cerati innouatio fiat in lecto. Multa a Doctoribus deſcribuntur remedia: at ego, dimiſſa multitudine, quæ duntaxàt probaui, & proficua adinueni, ac a fide dignis accepi, litteris hiſce cõmendabo. Et primò

Secundus modus. ℞. gummæ draganti, vernicis, ſcriptoriæ, maſticis, ſumac, acatię, sãguinis humani pul. boli fini aña drach. 3. corallorum rubeorũ dr. 1. puluerizentur ſubtiliter, & cum colla chartariorum per cribrũ percolata incorporentur ad ignem, & fiat miſcella: quę extendatur ſupra corium, vel chartam pergamenam, & applicetur loco affecto; eſt quidem gluten ſic adhærens, vt vix multos poſt dies remoueri poſſit: & eſt ſecretum rarum, ſi optime fuerit paratum, applicatum, & pluries

ries repetitum.

Quidam vir magnæ auctoritatis commendauit pro magno ſecreto hoc, quod ſequitur. Suppoſito bono victus regimine, vt decet, quieſcens ægrotans in lecto per 30. dies accipiat quolibet mane, & ſero ſcrup. 1. de limatura chalybis cũ vino decoctionis hepaticę terreſtris, & rad. conſolidæ maioris, & ſuper locum herniæ per 60. dies, de tertio in tertiũ innouando, ponatur emplaſtrum de adamante groſſo modo pulueriżato, & cum glutino piſcium incorporato, & poſt alios 60. dies ponatur cæratum de pelle arietina, & cum condecenti ligatura firmetur, & iuſſu Dei erit curatus. Fundamentum huius curæ eſt; quia in quindecim diebus adamas attrahit *Tertius modus.*

in loco rupturæ limaturam, & in alijs quindecim diebus cæratum: & ideo reperitur ſuper locum carnoſitas nodoſa: quæ eſt ſignum perfectæ curationis.

Aliud cęratum noſtrę inuentionis, videlicet ℞. gummæ draganti, maſticis, thuris, ſercocollę, myrrhę, vernicis, ſcriptorię, hypoquiltidos, boli fini, ſanguinis humani, pilorum leporis combuſti, fuliginis pictoriæ, ſumac, corall. rubeorum aña. drach. 2. litharg. aurei vnc. 3. pinguedinis caſtrati percolatæ drach. 6. raſinę pini, colophonię, picis nigræ, terebinthinę, cęrę nouę aña. vnc. 2. glutinis coriariorum perfecti, & parati eo modo, quo a chartarijs paratur pro perficiendis chartis ad vſum ſcribēdi, vnc. 4. pulueriżetur lithargyrium,

Sanguis humanus ſit ex homine rubro, & ſano, ac in pul. redactus.

rium, & bulliat in acerrimo aceto cum pinguedine caſtrati, continue baculo agitando, donec reſoluatur humiditas: tũc addatur colla chartariorum dicta glutinum coriariorum, quæ idem ſunt, & lento igne optime incorporentur, & in alio vaſe ſtanneo eliquatę ſint pices reſina, terebenthina, & cæra, & omnia ſimul miſceantur, vt vnum cõficiantur, agitando: pulueres addantur, & diligenti arte fiat cęratum; nam tota difficultas eſt, ne colla aduratur, & cum reliquis bene conueniat. Parentur magdaleones ad vſum; nam hoc cæratũ videtur Manus Dei. Quæ ad hunc vſum per os propinanda ſunt, vt & intrinſecus, & extrinſecus tentetur curatio; hęc erunt, videlicet ℞. tiphę, quæ oritur in paludibus, & dicitur

citur etiam mazza ſorda drach. ʒ. betonicę, gladiolæ aña m. med. hippogloſſæ, quę biſlingua appellatur vnc. med. ex typha capies lanuginem, ex betonica frondes, ex hippogloſſa radices: ſed aduertendum, quòd gladiola habet duas radices, vnam supernè, & alteram infernè: pro crepatis cōfert ſuperna, inferna non. Fiat ex omnibus puluis ſubtiliſſimus, de quo capiat drach. 1. pro vice cum duobus vitellis ouorum elixatis de mane per menſem: vel capiat cum vino rubeo; aut ℞. pedis columbini, cameleontis, ideſt cardi, cuius flore lac coagulatur aña m. 1. reducantur in puluerem, & de eo capiat dr. 1. pro vice cū vino rubeo per plures dies; vel ℞. ſigilli Sanctę Marię, rad. conſolidę maioris pulueriʒatæ

Aduertendum.

vnc.

vnc. med. boli fini drach. 1. ſacch. roſ. antiqui vnc. 3. miſce pro noué diebus; vel ℞. polipodij, rubeæ tinctorum radicum, & foliorum aña m. 2. mundentur, & ponantur per duos dies in vino albo, decoquátur ad tertiam partem, additis thuris pulverizati ligati in petia vnc. 2. & colentur, cuius colaturę accipe lib. med. ſucci ſcabioſæ depurati lib. 6. mellis lib. 8. ſacchari lib. 2. decoquátur S. A. & paretur ſyr. de quo capiat de mane vnc. 2. pro vice cum pauco vino per 20. dies. At interim ſuper locum affectum per ſexaginta dies applicetur hoc emplaſtrum, videlicet thuris, maſticis, draganti, gummi arabici, ſanguinis draconis, mumiæ, gummi elemi aña drach. 1. pulverizentur ſubtiliſſimè, & cum albuminibus ouo-

rum

rum incorporentur, & cum chartâ pergamena vino madefacta applicentur, & replicentur, quoties opus fuerit, per duos menſes.

Commendantur rad. bonifatiæ, herba trinitatis, lunaria graſſula, quæ numularia dicitur, filipendula, quælibet per ſe puluerizata aña drac. med. cum vino rubeo per multos dies potata plurimum confert. Aliud ſtellariæ, lunariæ, peloſellæ, typhę aña m. 1. rad. bonifatiæ vnc med. bulliant in aquis ſtillatitijs dictarum herbarum ſic, vt herbæ, & rad. decoquantur vna cum corio vitulino in proprijs ipſarum aquis, donec deueniant ad formam glutinis; tunc cribro tráſfundantur, & infraſcripta addantur, ſcilicet ſacchari finiſſimi lib. med. pro qualibet libra glutinis,

boli

boli ſini drach. 2. & ſeruentur ad vſum in vaſe vitreato: de quo capiat vnc. med. pro vice, & ſuperbibat parum vini aſtringẽtis; repetatur per 40. dies. Hoc vnum ſemper mente tenendum, vt remedia intus, & extra eodem tempore adminiſtrentur, vt ſuperius dictum fuit.

Inteſtina in ſcroto prolaxa, & indurata quomodo in propriam ſedẽ reponãtur.

Si inteſtina decidant in ſcroto, nec regredi valeant propter flatuoſitatem, vel fæcum indurationem, vel quia inteſtinum ſit inuolutum, vel quomodocunq. omni ingenio, ac induſtria conandum, vt in propriam ſedem reponantur. Quamobrem, inclinato capite, & eleuatis pedibus, ſituandus eſt ęger, locuſq. fouendus cum decocto camumillę, cumini, aniſorum, ſem. anethi, fænugręci aña. m. 1. bulliãt in aqua,

& cum ſpongijs fiat fomentum; vel ex ijſdem paretur ſacculus. Locus liniatur oleo camum, anethino, amigdalarum dul. butyro, dialthea, & huiuſmodi: exhibeantur per os vnc. 6. olei amigd. dul. nuper extracti. Fiat balneum, ſeu inſexus olei dulcis; cum autem hæc omnia vana ſint, & vomitus fæcum aderit, nec deorſum fæces exire valeant, & res ſit in anguſtos: laudo, vt deueniatur ad inciſionem, aperiendo didymum diligenter, & caute, ne lędantur inteſtina. Deinde vino calido irrorentur, & in propriam ſedem reponantur; & locus ſuatur, cauterizeturq. ſi indiget. Curetur cura vlcerum, & inuentus erit, qui perierat, iuſſu Dei, qui ſit benedictus in ſecula. Amen.

Si manuali operatione diligenter administrata, nequeāt inteſtina in ꝓpriā ſedē reponi, et remedia prępoſita vana ſint, tranſacta 4. ſi locus magis tumeat, & vomitus fęcū ſequat, omni mora poſtpoſita, ad inciſionē deueniat, ne ęger pericli tetur.

De

De Vmbilico prominente, & eius cura. *Cap. 10.*

PRominet aliquãdo vmbilicus, & extenditur ad longitudinẽ quattuor digitorum, & vltra, dilataturq. ad inſtar cucurbitæ, & quotidie augetur indecorè, & infirmorum iactura, quod contingit vel ignorantia obſtetricis in deligatione vmbilici lõgius, quàm par ſit deligando: vel quia, fracto peritonęo, inteſtinum extraeminet, vel omentum. De quibus dicere intendimus duntaxàt: non autem de vmbilico tumente èx colluuie vitioſi humoris, vel ex aneuriſmate, aut carne adnata, vel ex flatuoſo ſpiritu, de quibus non eſt nobis nunc ſermo.

Signa

Signa ergo ingreſſi zirbi, ſeu omē-ti in vmbilico, ſunt color conſimilis naturali, & eſt tumor lenis abſq. dolore, diuerſiq. ſitus; & dum manu pertractatur, perſentitur pinguedo introcluſa, & videtur quodammodo retrocedere.

Signa verò inteſtini in vmbilico delapſi ſunt tumor eiuſdem coloris cum cute. Et ſituato patiente ſupino, retractis pedibus, & cruribus, manu comprimendo tumorē, atq. emulgendo retrocedit, & occultatur: ſi reſurgat ægrotus, ſtatim extraeminet, & tumet, prȩſertim ſi, anhelitum comprimēdo, detineat. Sequitur interdum ſonitus, atq. rugitus; ſi autem ex mala deligatione in primis diebus, ad ſenſum patet.

Cura prominētis vmbilici ex defectu obſtetricis, vel ingreſſu inteſtini,

ſtini, aut omenti duobus perficitur medijs, localibus ſcilicet, aut chirurgia. Localibus tentanda erit a principio, dum affectus paruus eſt, & paruo negotio, & abſq. chirurgia curatio ſperari poteſt. Quare patiens in lecto quieſcat ſupinus, & quę prominebāt, ad intra reponātur diligenter; & adęquato vmbilico, ſuperius imponatur cęratum de pelle arietina, vel cęratū noſtræ inuētionis deſcriptum capitulo ſuperiori De hernia inguinis, nā omnia, quę ibi deſcripta ſunt, ad hūc vſum accommodari poſſunt. Deſuper cęratum imponatur lamina oſſea, ex qua laternæ conficiuntur: eſt enim ad inſtar chartæ ſubtilis: ligetur condecenti ligatura, quę leniter comprimat, & firmiter teneat, remutando de ſeptima in ſeptimā

diem, donec locus fuerit cõſolidatus, perſeuerando cum ceratis per quadraginta dies, cum ligatura autem per ſex menſes. Sin hęc non faciant ſatis, ad chirurgiam confugiendum hoc pacto, videlicet.

Situato patiente ſupino, & ligatis manib⁹, & pedibus, ſi timidus fuerit, eleuetur tumor, & circunquaq. enclauſtro ſignetur; deinde leuiter emulgendo, & comprimendo, reponantur inteſtina, vel omẽtum in propriam ſedem: tũc eleuatus vmbilicus tumens conſtringatur cum ſpatumili lato, quod eſt inſtrumẽtum ferreum, inciſorium appellatum; & duobus acubus duplicem filum, ac craſſum ducentibus crucialiter vmbilicus perforetur, & vndiq. filamenta remaneant ad palmi longitudinẽ, quę filamẽta in quattuor

Perforatio fiat ſic, vt quicquid de vmbilico ſupereminet, remoueatã, & locus adęquatus remaneat.

tuor partibus alligẽtur, & coſtringantur arctè: vt caro, quę ſupereminet, putreſcat, at hæc omnia fiant prudenter, cauendo ante cõſtrictionem, ne quid inteſtinorum ſueretur, perforaretur, ſiue coſtringeretur. Facta arcta conſtrictione, poteſt ſuperfluum reſecari, & actuali cauterio cauterizari; deinde eſcharoticis cruſta emolliri, vt decidat; deinde vnguento raſino, de minio, vel cærato de diapalma locus incarnari; ſi interim circũſitę partes inflammentur, linjantur oleo roſaceo, oui vitello mixto; pul. incarnatiui poſſunt ſimiliter applicari; qui parantur ex ſerecocolla, irios, ariſtolochia, thure, &c. ſupra medicamenta aptentur lamina oſſea, ex qua laternæ fiunt, vt inteſtina exitum tentare nequeant,

ant, donec locus fuerit perfecte cicatrizatus. Et hæc ſufficiant pro præſenti capitulo.

De Cura Aquoſi Hydropis. Cap. 11.

HYdrops dicitur ab hydros quod eſt aqua, & piſis, quod eſt paſſio, ſcilicet aquoſa paſſio, & proprie in abdomine ſcilicet inferiori ventre. Et quantum ad chirurgum ſpectat, eſt Apoſtema aquoſum in ventre ex errore digeſtiuę virtutis hepatis generatum. Et ſi ſciamus, tres eſſe hydropis ſpecies; nos autem de aſcite ſolum, id eſt aqua inter-cus dicere ſtatuimus, & de hac prout chirurgia curari poteſt, cum cætera remedia vana eſſe profitemur.

Quare hæc ſpecies per propria ſua ſigna inquirenda venit; quæ erunt ſuperiorum partium emaciatio, & tumores in inferioribus; &, ſi venter agitetur, veluti vter, reſonat, qui eſt aquæ ſemiplenus; & reliqua ſigna aquoſarum apoſtematum; nam ſi patiens reuoluatur a dextris ad ſiniſtras in lecto, recurrit ſemper aquoſitas ad decliuiorem partem. Cognito aquoſo tumore, in quo admittitur manualis operatio, nam in alijs duabus ſpeciebus nẽpe in tympanite, & anaſarca, operatio cũ ferro mortalis eſt penitus. Coniectandum eſt, an æger robuſtus ſit, & operationi reſiſtere valeat, an alui fluorem patiatur, vel tuſſi ſolicitetur, an ſenex, vel puer ſit, aut aliud obſtet, & opus impedire valeat. Quibus non obſtanti-

bus, & abſentibus, ex auctoritate Auicennæ, Pauli Æginetæ, Albucaſis, & Aliabatis ad chirurgiam properandum, facto prius prognoſtico de periculo, deueniendum erit ad operationem hoc pacto, videlicet.

Primo vigoretur patiens verbis conſolatorijs, & exhibitione panis maluatico vino infuſi, deinde ſignetur locus perforationis: nam, ſi affectus principalis ſit in parte dextera, perforetur in ſiniſtra, & è contra: quia, ita faciendo, æger melius quieſcere poterit in latere minus dolenti, & aquoſitas inuoluntarie non egredietur.

Collocetur patiens erectus coram operatore, & miniſtri illum ſuſtineant, aquamq. ad locum inciſionis depellant: tunc medicus

ma-

manu ſiniſtra cutẽ ſurſum impimgat, & infra vmbililicum per quattuor digitos locum ſignatum perforet vſq. in vacuum, vt aqua exeat, vel incidatur cutis vſque ad peritonęum, deinde paruo orificio perforetur peritonęum, in quo imponatur cannula argentea, & exeat aqua ad ægrotantis tolerantiam, id eſt illius virtutis, quæ ex pulſu cognoſci poterit. Docet quidem Auicenna, melius eſſe infra ſubſiſtere, & per vices paulatim euacuare, virtutemq. ſeruare, quàm totum ſimul, & exquiſite euacuare, & infirmum ad ſyncopim, & mortem ducere; in omni enim euacuatione annexus eſt caſus virtutis. Remota cannula, dimittatur cutim deſcendere, vt claudatur ab ile peritonæi orificium: applicetur

deſuper oleum abietinū aliquantulum decoctum, vt bene adhæreat, vel cæratum de gūma elemi, & huiuſmodi aliud bene adhærēs: ligetur, & ſic dimittatur: ſecunda, vel tertia die hoc idem repetatur, euacuando aquoſitatem duobus, vel tribus vicibus pro maiori parte; deniq. claudatur oſtiolum, & vlcus conſolidetur; quod autem erit reliquum, remoueatur infraſcriptis exſiccantibus, obſeruata dięta reſumptiua ex electis cibarijs boni ſucci, facilisq. coctionis; vt pullæ contuſum, iura odorata cum cinnamomo ex eiuſdē pullę carne, oua recētia, tremula, vinū maluaticum, & huiuſmodi. Interim topica remedia adminiſtrentur ex caprino ſtercore pulueriżato, bubulo, cumino, ſulphure, furfure,

Decoctū ex rad. ſaſſafraſſę, & per ſe, et cū vino potatū plurimū præſtat.

fari-

farina milij, ſale, foliorum ebuli, vel ſambuci puluere, & ex cæteris huiuſcemodi: ex quibus & ſacculi parari poſſunt ad hunc vſum accommodati: competit arena, ſol, ſitis, & cibaria exſiccantia; nempe quæ calefaciant, & exſiccent. Erat quidã, qui capiebat gryllos, aut cantharidas nigras, & ablatis capitibus, & alis, comburebat in furno, & in puluerem redigebat: de quo de ſero exhibebat granum per os cum optimo vino, & adeo vrinam prouocabat, vt quàmplurimi ab hydrope ſic curarentur. Aliqui alleuiata naturæ ſarcina, qua premebatur, ad tollendum reſiduum, impoſuerũt ſetonem in burſis teſticulorum, & cauteria affixerunt in vtroq. crure in parte domeſtica. Sunt & ex Antiquis, qui commendarunt poſt hanc

Secretũ diureticum.

Spiracula affectũ, nõ autẽ causã remouere poſſunt.

v: Gal. ... de hydr:

eua-

euacuationem, fieri vſtionẽ ſuper ſtomachum, iecur, lienem, imum ventrem, & vmbilicum; adhibendo vnicuiq. harum partium ferro candenti emiſſarium. Hoc curationis genus admitterem libentius ante peritonęi perforationem: nam his quinq. cauterijs materia coniuncta, & quæ eſt in fieri educi poterit cum corroboratione affectorum membrorum. Hæc omnia admittenda ſunt: quia vel aliquid tẽtandum eſt, aut periclitandum. Quare, &c.

De cancro extuberãte, & vlcere maligno, & erodente. Cap. 12.

CAncer aut eſt vlceratus, aut non vlceratus. Cancer non vlceratus eſt tumor ſcirrhoſus, in-

do-

dolens, colore ſubliuidus vt plurimum, habens in circuitu venas tumidas, declinantes ad aliquam nigredinem, paulatine increſcens; quotieſcunq; hic tumor vlceratur, efficitur vlcus canceroſum, & dicitur cancer, ratione ſimilitudinis, quam habet cum cancro piſci, gigniturq. ab humore melancholico. Quare ſiue vlceratus, ſiue nō vlceratus, ſi fuerit in parte, in qua commode comprehendi poſſit, & totus radicitus euelli, curationem admittit; & tutò curari poteſt: ſin autem ſecus, non ſubeunda eſt eius cura: quia iactura eſſet infirmorum, & dedecus medicorum. Cū igitur carcinoma ſit in parte, in qua commode comprehendi poſſit, & radicitus extirpari, ſignetur locus enclauſtro circun-

qua-

quaq. , demum acu duplicem filum ducente perforetur, & ſurſum trahatur , vel vnco ferreo apprehenſus, raſorio circunſcribatur, & a parte ſana , non inquinata, penitus ſequeſtretur, dimittaturq. aliquantiſper ſanguinem atrum , & melancholicum exire : deinde ferro igne flagrāti totus locus vndiq; aduratur ad ſanam vſq. partem ; vt ne tantillum vitij derelinquatur: poſtmodum emolliatur cruſta butyro, vel exugna ſuilla: qua remota, incarnetur locus vnguento de tutia, vel de plumbo , cærato ex chalcitide, & huiuſcemodi : cicatrizetur cum optimo vino , & alumine combuſto . Hęc omnia proponuntur ad tollendum præſentẽ affectum: at, vt vitium non facile reuertatur, ſi aliqua naturalis eua-

cua-

cuatio fuerit ſuppreſſa, reuocetur, purgetur corpus bis in anno, vere ſcilicet, & autumno: congrua vtatur victus ratione: hyrudines podici applicatæ conferunt: diuerſiones, & cauteria ad rombum plurimum faciunt. Quare, &c.

LIBER QVARTVS,

IN QVO THEORICÆ, ET PER COMPENDIVM VNIVERSA TRADITVR CHIRVRGIA

Per D. Durantem Scacchum Prec. Ciuem Fabrianensē.

POSTQVAM hactenus de particularibus affectibus Oculorum, Veſicæ, ac aliquarum corporis partium ſermonem fecerimus, non ab rè videri poterit, ſi vniuerſam chirurgiam paraphraſtice, ac per compendium, theoricæ tantùm, & vberioribus Medicinæ fontibus tradamus: nam hinc chirurgię Tyronibus, cognitis vniuerſalibus a-

xiomatibus, ac primis rudimentis, ad vlteriora facilius progredi poterunt. Veterani autem, ac doctiores ex principiorum, & horum vniuerſalium rememoratione, veluti in ſpeculo, quæ inde ſequuntur, perſpecta habebunt: & hoc pacto hiſce noſtri labores doctis, doctioribus, ac doctiſsimis inſeruient, ſuffragante Deo.

De tumoribus præter naturam. Cap. 1.

TVmor, ſeu apoſtema eſt ægritudo cōpoſita ex triplici genere morborum in vnam magnitudinem aggregatorum, ſcilicet ex mala complexione, mala compoſitione, & continui ſolutione. *Ex Gal. p. De ægrit. et ſympth. et ex Auic. lib. p.*

Tumorum differentia. Cap. 2.

TVmorum prętcr naturam differentiæ ſumuntur vel a ſubſtantia rei, vt vocant, vel a materia, vel ab accidentibus, vel a partibus affectis, vel a cauſis efficientibus.

Tumorum differētię a quibus ſumantur.

Tumorum cauſa. Cap. 3.

CAuſæ tumorum præter naturam geminæ ſunt, generales ſcilicet, & ſpeciales: generales cauſę ſunt fluxio, & cōgeſtio: rurſus fluxionis cauſæ ijdem ſex numero coſtituuntur, nempe membri propellentis robur, excipientis imbecillitas, materię copia, meatum deferentium laxitas, propellentium anguſtia, & loci fluxionem excipien-

Fluxionis cauſa ſex.

pientis ſitus inferior.

De Tumorum ſignis, & iudicijs. *Cap. 4.*

SIgna tumorum præter naturam ſunt, vbicunq. incrementũ apparet, naturalem ſtatum excedens, ac præter naturæ modum, particulam, quam occupat, diſtendens; eiuſq. actionem lædens.

Tempora tumorum præter naturam ſunt quattuor, Principium, Augmentum, Status, & Declinatio.

Tumores quattuor modis terminantur, nempe per exalationem inſenſibilem; vel per ſuppurationem; vel corruptionem; vel indurationem.

Diſſolutionis, ſeu reſolutionis

inditia ſunt leuitas membri, & deficiens pulſatio. Suppurationis ſigna ſunt dolor intrinſecus, pulſatio, & caloris incrementum: & ſcias quòd Apoſtema, in quo non fit pulſatio, non facit ſaniem, vt dicit Auic. lib. 4. de Apoſtematibus.

Signa ex Tagaultio.

Durities longa, pulſus, dolor, & calor aucti ſignant, pus fieri; ſed factum, dicta remiſſa; ſub digitis vndans; albeſcens pars, & acuta.

Corruptionis ſigna ſunt nigror, & liuiditas: quibus nonnunquam, & graueolentia accedit.

Indurationis ſigna ſunt tumoris imminutio, & cum hac durities remanens.

De

De Curatione Tumorum. Cap. 5.

TVmoris præter naturam vniuerſalis indicatio, euacuatio eſt, ſcilicet quòd in facto eſt: quòd autem in fieri inhibitio.

Vniuerſales indicat. tumorũ duę ex Gal. 13. & 14. meth.

Indicationes curatiuę deſumuntur ab eſſentia morbi, & a natura partis affectæ.

Indicat. curatiuę a duobus deſumũtur ex Gal. locis citatis & 2. ad Glauconē.

In morbo tria conſideranda, quantitas, qualitas, & materia.

In parte affecta quattuor ſpectanda, temperatura, formatio, ſitus, & potentia.

Intentiones curatiuæ tres ſunt. Prima fluxionem auertere, ac eam omnino intercipere. Secunda dolorem demulcere. Tertia id totũ, quod iam factum eſt, curare, & euacuare.

Curatio ſit generalis, quòd in principio ſola, ac pura reprimentia adhibeantur.

Exceptis quattuor caſibus, vt Gal. & Guido a Cauliaco aſſerunt.

Primo, quãdo tumor eſt emunctorijs.

Secundo, quando fit a materia venenoſa.

In quibus caſibus non liceat repellere.

Tertio, quando materia eſt craſſa, & repulſioni inobediens.

Quarto, quando vehementer eſt impacta.

De phlegmone, Cap. 6.

VEra phlegmone eſt tumor ex ſanguine vero, ac puro, hoc eſt optimo, ac mediocrē craſſitiem obtinente procreatus. Non vera ex prauo, & non naturali ſan-

guine

guine efficitur.

Phlegmonis cauſę ſunt tres, Antecedens, Primitiua, & Coniuncta.

Signa phleg. ſunt Tumor, ſeu incrementum partis ſupra naturalem habitum. Calor vehemens adeo, vt membrum comburi videatur. Rubor per ſumma vigens, qualis ex balneis, vel igne, aut quouis alio modo calfactis aduenit. Dolor vehemens, niſi membrum difficilem omnino ſenſum habuerit. Pulſus, ſeu pulſationis ſenſus in profundo moleſtus. Tenſio, ſeu extenſio membri, quam non modo ipſi tantùm deprehēdimus; ſed etiam ipſe æger proprio ſenſu aduertit, renixus partis tangenti eam pro tenſionis modo, &c.

Sig. phlegmonis ex Gal. de tu. præter nat. & 13. meth.

Phlegmone quattuor habet tépora, Principium, Augmentum,

Statum, & Declinationem, niſi intro fluxio recurrat, vel medicaminibus ſtatim reprimatur.

Tumores quattuor modis terminantur, ſcilicet per exhalationẽ, per putrefactionem, per petrificationem, & per corruptionem.

Ex Gal. 13. meth.

Cura phlegmonis duplex, vniuerſalis, & particularis: de vniuerſali dictum eſt ſuperius. Particularis quattuor habet intentiones, ſcilicet.

Prima victus rationem inſtituit.

Secunda materiam antecedentem adæquat.

Tertia materiam coniunctam euacuat.

Quarta accidentia corrigit.

De

De *Carbunculo*. *Cap.* 7.

CArbũculus a Gręcis Anthrax, eſt inflammatio valida cum puſtulis, & ſine puſtulis. Carbunculus eſt vlcus cum cruſta, & cum valida inflammatione circuniacentis partis.

Ex Tagaultio lib. p. cap. 7. ex Paulo lib. 3. cap. 22. ex Gal. lib. 5. De cõp. med. per genera. cap. 15.

Carbunculus cauſatur ex influente ſanguine nigro, craſſoq. ac fęculento, eodemq. feruente, atq; impenſe calido naſcitur. Cui ſi tenues quędam humiditates admiſtę fuerint, puſtulę nonnullę ambuſtis conſimiles per ſumma cutis excitantur, appellaturq. tunc hæc inflammatio carbũculus cum puſtula.

Signa Carbunculi ſunt, cruſta ipſa modo cinereum colorẽ, mo-

do nigrorem præſeferens, eoq. loco leuari cutis non poteſt; ſed inferiori carni quaſi affixa eſt. Circuniacens caro in ſummam, ac feruidam peruenit inflammationem, & colore nigreſcit, ſplendetq. bituminis, & picis modo, veluti ſi pluſculo rubro minus miſceas nigri. Quibus accedit dolor grauis, febris; ſi materia fuerit venenoſa, nauſea, vomitus, proſtratio appetitus, cordis tremor, animi deliquium.

Carbunculus omnis morbus eſt acutus, periculoſus, & contagione inficiens: omnibus peior eſt, qui in emunctorijs euenit, & prope membra principalia. Sumitur etiã iudicium a loco affecto, a colore, & ab accidentibus.

Carbunculi curatio quattuor ha-

habet intentiones.

Prima victus rationem ordinat.

Secunda cor confortat.

Tertia materiam antecedentem adæquat.

Quarta materiam coniunctam regit, & gubernat.

Prima intẽtio expletur cum debita adminiſtratione ſex rerum non naturalium.

Secunda cum adminiſtratione bonæ, & probatę theriacæ ad quãtitatem vnius dragmæ cum aqua ſcabioſæ.

Tertia cum phlebotomia eiuſdẽ lateris copioſa, cum loci ſcariſicatione, applicando hirudines, vel cucurbitulã, poſtremo cauterizãdo locum cauterio actuali, vel potentiali.

Quarta cum defenſiuis in circuitu

cuitu applicatis.

De *Gangræna*, & *Sphacelo*. *Cap.* 8.

Ex Gal. 2. ad Glauc.

GAngræna eſt, quæ ex magnitudine inflammationis fit mortificatio, nondum tamen integre facta.

Cauſę tres.

Trifariam fit huiuſmodi mortificatio.

Vno modo, quando membrum non poteſt recipere vitã ſibi à corde per arteriã tranſmiſſam propter diſſipationem, ſeu diſſolutionem mixtionis, atq. harmoniæ ipſius laborantis membri. Altero modo, quando vita in membro recepta præfocatur, atq. extinguitur a magnis inflammationibus.

Tertio modo, quando prohibe-
tur

tur tranſitus, atque influxus vitalis ſpiritus a corde ad membrum, vt fit aliquando a vehementi, arctaq. ligatura, vel contuſione.

Primum ſignum, quando illud coloris floridum, quod inflammationibus adfuerat, extinguitur; deinde dolor, & pulſatio arteriarum ipſi ægro ſenſibilis recedunt, non finita adhuc diſpoſitione, verum ſenſu iam emortuo. Vnde membrum mox nigrum conſpicitur, molle quoq. & putridum, fœtoremq. expirans, cadaueroſum efficitur.

Cura tres habet intentiones:

Prima victus inſtituit rationem.

Secunda materiam antecedentem adæquat.

Tertia locum mortificatum regit, & gubernat.

De

De Eryſipelate. Cap. 9.

ERyſipelas eſt bilioſæ fluxionis germen circa cutem vtranq. maxime conſiſtens, ſcilicet circa cutem, & æpidermiam.

Cauſæ. Eryſipelatis cauſę tres ſunt, primitiua ſcilicet, antecedens, & coniuncta.

Signa. Eryſipelatis ſigna ſunt color aſpectu rubidus, in flauum elangueſcens, qui rubor, inquam, flaueſcens ad tactum digitorum facile ſubterfugit, rurſuſq. illabitur: tumor exiguus, calor vehemens febrem excitans, pulſatio non admodum fortis, dolor mordicans, & pungens.

Iudicium. Eryſipelas vt plurimum faciem occupat, prę ſertim in parte leporis,

& hoc

& hoc propter ſui raritatem.

Eryſipelas ab exterioribus ad interiora malum, & e contra. *Ex Hippoc. aph. 6. aph. 25.*

Eryſipelatis vniuerſalis cura duplex eſt, nempe refrigeratio, & euacuatio: ſed, vt hęc aſſequamur, quattuor aliæ particulares proponuntur intentiones, nempe,

Prima rationem victus ordinat.

Secunda materiam antecedentem auertit.

Tertia materiam coniunctam euacuat.

Quarta ſympth. corrigit.

De Herpete. *Cap.* 10.

OMnes puſtulæ colericæ factæ a colera non naturali, dicuntur Herpetes; & breuiter Herpes nihil aliud eſt, quam Ery- *Herpes qd ex Gal. de tumoribus præt. nat. lib. 14. met. et lib. 2. ad Glauc.*

ſipe-

ſipelas vlceratum.

Cauſæ, ſignaq. ex dictis nota ſunt.

Cura tres habet intentiones, ex quarum

Prima ordinat rationem victus.

Secunda materiam antecedentem adæquat.

Tertia materiam coniunctam regit, & gubernat.

De Oedemate, & alijs Tumoribus frigidis. Cap. II.

Ex Gal. 2. ad Glauc. OEdema eſt tumor laxus, & indolens, ſeu rara quædam, atq. expers doloris moles, ex pituitoſo humore in particulam aliquam influente exurgens.

Cauſę triplices ſunt, primitiua, antecedens, & coniuncta.

Si-

Signa ſunt tumor laxus, & mollis, qui prementi digito cedit, & foueæ modo cauatur, nec amoto digito reſilijt, ſed prementis veſtigium retinet: dolor ferè nullus, calor modicus, & color vergens ad albedinem.

Curatio duplicem ſcopum habet, alterũ fluxionem reſtringere; alterum humorem diſſoluere: ex quibus quattuor ſcopi particulares oriuntur.

Primus vitam ordinat.

Secundus pituitam adæquat.

Tertius materiam coniunctam gubernat.

Quartus accidentia corrigit.

De Apoſtemate ventoſo. Cap. 12.

APoſtema ventoſum ex flatuoſo ſpiritu collecto naſcitur, aliàs

aliàs ſub cute, aliàs ſub membranis: quæ oſſa circundant, aut muſculos, viſcerumuè aliquod includunt, &c.

Ex Gal. lib. de morbo, et ſympth. Cauſa eſt caloris natiui, imbecillitas in mat. pituitoſa, ad flatus excitandos diſpoſita.

Signa inflationum ſunt tumor renitens tactui cum lucido quodam ſplendore, ſonum, vt vter, vel tympanum, dum percutitur, reddens.

Cura tribus perficitur intentionibus.

Prima conſiſtit in debita viuendi ratione.

Secunda in proba concoctione.

Tertia in materię coniunctæ extirpatione.

De

De Apoſtemate aquoſo. Cap. 13.

APoſtema aquoſum eſt tumor ex aquoſo, & ſeroſo phlegmate generatus.

Cauſa eſt alteratrix facultas, frigida intemperie vitiata, & alimentorum prauitas ad aquoſitatem declinans. *Ex Gal. 6. de ſymptb. cauſis.*

Signa ſunt, vt in œdemate: in hoc differunt, quòd in his tumor magis laxus eſt, ſonatq. non, vt flatus, ventuſuè, ſed vt aqua potius, ſplendereq. videtur aliquo modo, cum ad lucem quis ipſum intueretur.

Cura duplex erit, nempe vacuandi, quod influxit, & inhibendi, quod influit: ſed, vt geminum hũc ſcopum aſſequamur, alijs quinq.

particularibus intentionibus eſt opus, videlicet,

Prima victus rationem ordinat.

Secunda rectificat concoctionem.

Tertia aquoſum humorem per aluum expurgat.

Quarta per vrinarios meatus ſeroſum recrementum educit.

Quincta materiam coniunctam euaporat, atq. exſiccat.

De Glandulis, & excreſcentijs phlegmaticis. Cap. 14.

GLandulę, ſcrofulę, ac, vt vnico verbo dicamus, omnes phlegmaticę excreſcentię a pituita fiũt, in collo alis, & inguinibus maxime conſiſtunt: ſed poſſunt in qualibet corporis parte hæ euenire.

Cau-

Cauſæ ſunt tres, primitiua, antecedens, & coniuncta.

Primitiua, vt caſus, percuſſio, vitæ luxus, ſiue intemperantia.

Antecedens, vt ſunt humores non naturales, præſertim pituitoſi.

Coniuncta, quę eſt propria ſubſtantia, & propria cuiuſq. materia, in parte affecta coniuncta.

Signa ex prædictis nota ſunt.

Cura gemina eſt, vniuerſalis ſcilicet, & particularis.

Vniuerſalis concernit vitam, vt non multiplicetur materia, & adæquet materiam antecedentem, vt non addatur in coniunctam.

Particularis in remouendo materiam coniunctam cõſiſtit operatione manuali, vel debitis medijs, &c.

De Curatione Atheromatis Stheatomatis, & Meliceridis. Cap. 15.

CVrationis conſilium vnicum eſt, nempe vt tunica illa, quam cyſtim appellant, quod continet, diſcutiatur, aut medicaminibus totum vnacum tunica ipſa exedatur, aut ſectione auferatur.

De ſcirrhoſis tumoribus. Cap. 16.

SCirrhus proprie dictus eſt tumor durus, & indolens, non tamen omnino ſine ſenſu, ab humore melãcholico naturali, & minime corruptus procreatus.

Cauſæ ſcirrhi triplices ſunt, primitiua ſcilicet, vt praua viuendi ratio, craſſum, & melancholicum ſan-

ſanguinem generans:

Antecedens, vt ſuccus melancholicus in corpore collectus.

Coniuncta, vt humor ipſe melancholicus in laborante particula impactus.

Signa. Tumor durus, & valenter renitens. Color inter rubrum, & nigrum medius, cuiuſmodi color fuſcus eſt.

Cura tres habet intentiones.

Prima vitam ordinat.

Secunda materiam antecedentem adæquat.

Tertia coniunctam euacuat.

De Cancro apoſtemoſo, Cap. 17.

CAncer apoſtemoſus eſt tumor durus, inæqualis, rotundus, venoſus, ideſt habens in circuitu

turgidas, & exaltatas venas, liueſcens, ſiue fuſcus, &, vt Paulus ait, colore magis, quàm inflammationes nigricans, calidus, ſed nõ adeo vt inflammationes, ſubito accreſcens, ęgros maxime faticans, & perpetuo dolore ferè affligens.

Ex Gal. 14. meth. & De tum. prętter nat.

Cauſatur ex atra bile, ſeu melancholico humore, hoc eſt eiuſmodi naturæ ſucco, cuiuſmodi eſt fæx in vino, & amurca in oleo.

Signa ſunt, quòd habet ſubſtantiam duram, liuidum colorem, & tenebroſum, venas in circuitu ad modum pedum cancrorum eleuatas cum dolore, & extranea caliditate.

Curatio tres habet intentiones. Prima victus rationem inſtituit. Secunda materiam antecedentem adæquat.

Ter-

Tertia locum particulariter pertractat.

Victum inſtituere, ſcilicet illa cibaria offerre, quæ refrigerandi, atque humectandi vim habent.

Materiam antecedentem adæquare, ſcilicet cum medicamentis purgantibus atram bilem.

Locum pertractare, ſcilicet regere, & digerere humorem in particula cubantem.

LIBER SECVNDVS:

DE VVLNERIBVS.

Vulnus quid. Cap. 1.

VVLNVS eſt ſolutio continuitatis, recens, cruenta ſine putrefactione, in particulis mollioribus extrinſecus incidens, vt recentiores diffiniunt chirurgi.

Sermone 4. Regalis diſpoſitionis.

Cauſæ omnes externæ ſunt; vt Aliabas ait, ſic inquiens, Vulnera fiunt vel a corpore inanimato, vt enſe, baculo, lapide, aut alio quouis ſimili. Aut ab animato, vt venenatorum animalium punctura, aut ferarum morſu.

Signa vulnerum non aliunde pe-

petenda ſunt, quàm ex iudicio ſenſus, ſed viſus maxime.

Cura, communis indicatio vnitio eſt, quæ inſinuat contrarium per ſuum contrarium propellendũ eſſe: perficitur autem a natura, tanquàm a præcipuo agente, & cauſa affectrice adiuta ſuis virtutibus, & alimento conuenienti, & a medico tanquàm ipſius naturæ miniſtro. *Gal. art. med. cap. 90.*

Quattuor alię ſubalternatę proponuntur intentiones.

Prima iubet, extrinſecus incidentia amouenda eſſe.

Secunda, diſtantium partium extrema applicanda eſſe, præcipit.

Tertia docet ea in vnum iam commiſſa, & coacta ſic conſeruare.

Quarta partis læſæ ſubſtantiam ſeruare ſuadet.

Quin-

Quincta ſuperaddi poteſt, videlicet accidentia corrigere.

De cauo vulnere. Cap. 2.

Gal. 3. met. Vlnus cauum eſt vnitatis ſolutio ex vulnerando in carnoſa parte relicta.

Cauſa externa eſt.

Signa, vt ſupra, petenda ſunt.

Cura geminus proponitur curandi finis, vnitio ſcilicet, & repletio. Ordo curationis a repletione cauitatis ordiendus.

Particulares intentiones quattuor ſunt, ex quibus inuenire licet, quæ cauitatem vulneris impleant.

Ex ipſius vulneris ſubſtantia ſumitur, ſcilicet carnem eadem ſpecie cum ea, quæ perijt, reiungen-

dam

dam eſſe.

Ex ipſius ægri temperamento non corporis modo vniuerſi, ſed etiam afflictæ particulæ inſinuant nobis, medicamenta vel calidiora, vel frigidiora, vel ſicciora, vel humidiora ipſi vulneri eſſe admouenda.

Ab ijs, quæ coniugata, & annexa dicũtur, cuiuſmodi ſunt particulæ laborantis temperies, & circundantis nos aeris temperies ſcilicet, inſinuat, inueniendum eſſe remedium, quod pro portione, & ſtatuto quodam ordine graduue ipſis affectis reſpondeat, illoſq. prius ſubmouendos eſſe.

Ex contrarietate indicationum, vt cum læſa particula contrario eſt temperamento cum toto, hoc eſt cum corpore vniuerſo: exempli gratia,

tia, ſi ægri temperamentum iuſtò eſt humidius, particula verò ipſa, quæ laborat ſiccior, aut è contra, pari modo in calore, & frigore, quod contrario temperamento ſit pars cum toto, adhibenda ſunt medicamenta media, ac temperata.

De vulnere ex morſu animalium venenatorum. Cap. 3.

MOrſus venenatorum animalium cognoſcuntur per dolorem, mordicationem, & mutationem coloris vulneris, & per anguſtiam, arſuram, & obdormitationem, quæ ſentitur in corpore.

Curationis intētiones duæ proponuntur, nempe venenum attrahere, & particulam ſanare, ſcilicet attrahunt cucurbitulæ, hirudines,

po-

podices gallorum, & omnia medicamenta calida: & ferrum quoq; ignitum, &c.

Particula ſanabitur, ſcilicet mundificando, & incarnando.

De vulnere in venis cum profuſione ſanguinis. Cap. 4.

VVlnus in vena, ſeu arteria eſt continuitatis ſolutio.

Cauſa. Profluit ſane ex vena, vel arteria ſanguis, aut tunica earum diuiſa, aut reſerato earum ore.

Signum arteriæ diuiſæ, ſeu inciſæ eſt, ſi ſanguis cum impetu profluat, & tenuis, ac flauus, feruenſq. appareat.

Signum venæ inciſæ, ſi craſſior, & nigrior conſpiciatur, ac quiete ſine pulſu, ac citra ſaltum exeat.

Pro-

Prognoſticum. Si ſanguis non ſupprimatur, mortem affert ineuitabilem, cum ſit theſaurus vitæ.

Cura. Fluxus ſanguis tripliciter ſiſtitur:

Primo ijs, quæ fluxionem auertunt, tum deriuando, videlicet cucurbitulis; frictionibus, & ligaturis.

Secundo in frænantibus, atq. intercipientibus fluxionem, ideſt quæ per os aſſumuntur in craſſando, & refrigerando.

Tertio topicis auxilijs, quę num. quinq. ſunt.

Primum fit per ſuturam.

Secundum per lineamenta, id eſt cum turunda, & pulueribus.

Tertium per totalem inciſioné venæ, vel arteriæ.

Quartum per deligaturam, &

vinculum.

Quinctum per aduſtionem actuali, vel potentiali cauterio.

De vulneribus neruorum, & partium neruoſarum. Cap. 5.

VVlnus neruorum eſt continuitatis ſolutio.

Cauſæ ſunt, quæ incidunt, pungunt, & contundunt.

Signa ſunt dolor ingens, læſio ſenſus, & motus, & ſi in loco neruoſo vulnus acceptum eſt, ex quo ſequitur febris, & inflammatio valida, conuulſio, & aliquando delirium.

Cura quattuor habet intẽtiones.

Prima extranea, quæ vulneris labia intercidunt, remouere.

Secunda vulneris labia diſſidentia

tia committere.

Tertia commiſſa in vnum, atq. coniuncta ſeruare.

Quarta particulæ læſæ ſubſtantiam conſeruare.

In nerui punctura quattuor proponuntur intentiones.

Prima vitæ inſtitutio, nempe tenui victu.

Secunda materiæ antecedentis ſubtractio euacuatione.

Tertia corpus a conuulſionis noxa vendicare linimentis.

Quarta dolorem demulcere, ac ſedare, & eruginoſam ſaniem educere.

De Vulneribus oſſium. Cap. 6.

VVlnus in oſſe continuitatis ſolutio, græcè, Catagma.

Cau-

Cauſa eſt inſtrumentũ incidens, & penetrans.

Signa deprehenduntur ex iudicio ſenſus, & viſus maximè.

Curatio generalis, vnitio eſt, quę per quattuor aſſequitur ſcopos.

Primo, vt partes diſtantes in vnum adducantur.

Secundo, vt remedia, quibus huic affectui rite mederi poſſis, prudenter deligas.

Tertio, vt deligaturę modus adhibeatur decens.

Quarto, vt vulnus a phlegmone tutum, & victus ad porum gignendum actus inſtituatur.

De Vulneribus capitis cum totali fractura oſſis. Cap. 7.

VVlnus capitis eſt ſoluta vnitas in carne, & in oſſe.

Cauſa extrinſeca eſt, vt de alijs vulneribus dictum eſt.

Signa fracturæ cranei ſumuntur primo a virtute rei frangentis.

Secundo a conſideratione quantitatis læſionis.

Tertio a qualitate loci, qui dolorẽ affert, & facit, vt ſæpe æger ducat manum ad locum, & hoc proprie, vt dicebat Auic. cap. de caluariæ curatione.

Quarto ab accidentibus, quę occurrunt in hora percuſſionis, vt ſcotomia, &c.

Quincto ab effuſione humiditatis nigræ ſupra vulnus.

Sexto a ſpeculatione ſpecilli.

Iudicatur duobus de cauſis hoc vulnus periculoſum: aut quia ſanguis grauet membranas, aut os pungat illas: poteſt addi tertia cauſa,

ſa, quæ erit oſſis depreſſio, quę omnes indicant, os aperiendum eſſe.

Curatio quattuor habet intentiones particulares.

Prima cutem aperit.

Secunda os remouet.

Tertia vulnus curat.

Quarta accidentia corrigit.

Signa cerebri vulnerati, vel membranæ eius.

Si cerebrum membranæue eius vulnus accepit, ſanguis per nares, quibuſdam etiam per aures exit, ferèq. bilis vomitus inſequitur; quorundam ſenſus obtunduntur, appellatiq. ignorant, quorundam trux vultus eſt, quorundam oculi, quaſi reſoluti huc, atq. illuc mouentur, ferèq. tertio, vel quarto die delirium accedit; multorum etiam nerui diſtenduntur; ante mortem

Ex Celſo lib. 5. cap. 26.

autem plerique faſcias, quibus caput deligatum eſt, lacerant, ac vulnus frigori obijciunt.

De Vulneribus Thoracis, & partium contentarum. Cap. 8.

VVlnera thoracis aut ſunt in partibus continentibus tantùm, aut in continentibus, & contentis.

Cauſæ. Omnia, quæ apta nata ſunt perforare, & incidere, vt ſagittæ, telum, & enſis, &c.

Signa continentium vulneratarum partium.

Ex Guidone a Cauliaco. SIgna penetrationis ſunt emiſſio anhelitus per vulnus, maxime quando os, & nares infirmi claudun-

duntur, quæ per candelulam accẽſam, ſeu cotonem carpinatum, aut per lanam poſitam iuxta vulnus demonſtrantur. Hæc de continentibus.

Signa vulnerum partium contentarum.

Signa percuſſi cordis ſanguis multus effertur; venæ langueſcunt; color pallidiſſimus; ſudores frigidi, maliq. odoris, tanquàm irrorato corpore oriuntur, extremiſq. partibus frigidis, matura mors ſequitur. *Ex Cornelio Celſo.*

Signa pulmonis icte ſpirãdi difficultas eſt: ſanguis ex ore ſpumans, ex plaga rubens, ſimulq. etiam ſpiritus cum ſono fertur; in vulnus inclinari iuuat; quidam ſine ratione *Ex Celſo.*

conſurgunt; multi, ſi in ipſum vulnus inclinati ſunt, loquuntur; ſi in aliam partem, obmuteſcunt.

Signa. Septi tranſuerſi præcordia ſurſum contrahuntur; ſpina dolet, ſpiritus rarus eſt, ſanguis ſpumas affert.

Ex Cornelio Celſo. Signa percuſſæ medullæ, quæ in ſpina eſt; nerui reſoluuntur, aut diſtenduntur; ſenſus intercidit; interpoſito tempore aliquo ſine voluntate inferiores partes vel ſemen, vel vrinam, vel etiam ſtercus exhibent.

Ex Guid. cap. De vul. thoracis. Signa ſanguinis retenti grauitas, & pondus laterum ſunt iuxta falſas coſtas, & ſputum putridum cum tuſſi multa. & incipit febrire.

Ex Guid. loco citato. Iudicia horum vulnerum in cõtinentibus, quæ a parte poſteriori periculoſa propter venas, arterias,

rias, & neruos, & c. in partibus autem contentis omnia lethalia.

Cura quattuor habet intentiones.

Prima vitam ordinat.

Secunda materiam antecedentem purgat.

Tertia ſanguinem intus ingreſſum beneficio medicinalium ad exteriorem partem expurgat.

Quarta mundificat, poſtea incarnat.

De *Curatione Vulnerum abdominis. Cap. 9.*

VVlnera abdominis, quemadmodum diximus de thorace, aut ſunt in contentis, aut in continentibus.

Cauſæ ſunt enſis, lancea, gla-

dius, &c.

Ex Guid. Signa vulneris penetrantis ſpecillo in profundo penetrãte habẽtur, & per exitum omenti, & inteſtinorum.

Ex Cornelio Celſo. Signa ieiuni inteſtini, & ventriculi vulnerati, & aliorum inteſtinorum, cibus, & potus per vulnus exeunt; præcordia indureſcunt; nonnũquàm bilis per os redditur. Cætera inteſtina, vel ſtercus, vel odorem eius exhibent. A ſubtilioribus, aut groſſis inteſtinis debet ſumi indicatio a loco: quia ſubtilia ſunt ſupra vmbilicum; groſſa verò infra poſita ſunt.

Ex Celſo. Signa iecinoris vulnerati multus ſub dextera parte præcordiorũ præfuſus ſanguis; ad ſpinam reducta præcordia; in ventrem cubandi dulcedo; punctiones, doloreſq.

vſque

vſque ad iugulum, iunctumq. latus ſcapularum os intentum; quibus nonnunquàm etiam bilioſus vomitus accedit.

Signa percuſſorum renum, dolor ad inguina, teſticuloſq. deſcendit, difficulter vrina redditur, eaq. aut eſt cruenta, aut cruor fertur. *Ex Celſo.*

Signa vulnerati lienis ſanguis niger a ſiniſtra parte prærumpit; præcordia cum ventriculo ab eadé parte indureſcunt; ſitis ingens oritur; dolor ad iugulum, ſicut in iecinore vulnerato, venit. *Ex Celſo.*

Signa percuſſæ vuluæ dolor inguinibus, & coxis, & femoribus eſt; ſanguis pars per vulnus, pars per naturale deſcendit; vomitus bilis ſequitur; quædam obmuteſcũt: quædam mente labuntur, quædã ſui compotes neruorum, oculo- *Ex Celſo.*

rumq.

rumq. dolore vrgeri ſe cōtitentur; morienteſq. tandem, eadem, quæ corde vulnerato, patiuntur.

Ex Celſo. Signa percuſſi ſtomachi ſingultus, & bilis, vomitus inſequitur; ſi quid cibi, vel potionis aſſumptum eſt, id redditur; cito venarum motus elangueſcunt, ſudores tenues oriuntur, per quos extremę partes frigeſcunt.

Ex Celſo. Signa veſicæ vulneratę, dolent inguina, quod ſuper pubem eſt, intenditur; pro vrina ſanguis, aut ex ipſo vulnere vrina deſcendit; ſtomachus afficitur; itaq. aut bilē vomunt, aut ſinguitiunt: frigus, & ex eo mors ſequitur.

Iudicia. Vulnera in continentibus a parte poſteriori magis periculoſa. In contentis autem periculum ſecundum partes.

Cura

Cura quattuor habet intẽtiones.

Prima vitam ordinat.

Secunda corpus euacuat.

Tertia localia adminiſtrat, ſuturam, & reliqua ad hoc neceſſaria.

Quarta accidentia corrigit.

De vulneribus Scloppectorum, ſeu Archibuſiorum. Cap. 10.

VVlnera huiuſmodi inſtrumentorum ſunt ſolutæ vnitates complicatæ, prout etiam, qui hactenus ſcripſerunt, pronunciarunt.

Complicatæ, inquam, mala qualitate, contuſione, vſtione, atritione, ac colliſione.

Cauſa externa eſt, & efficitur a pilula plumbea, aut ęnea exiens cũ impetu ex inſtrumento dicto.

Signa ſunt ſoluta vnitas orbiculariter

lariter facta, & ex ægro habentur.

Cura. Cum complicati ſint affe-ctus ad id, quod magis vrget, dirigi prius conſilium debet, vt ex Gal. 3. meth. Ordo enim conſiderandum præſcribit, Quid ante quod, vel Quid cum quo, vel Quid poſt quid ſanari poſſit. Quod vbi diligenter obſeruatum fuerit, ab ipſa mala qualitate exordiendũ eſſe intelligetur. Quapropter quattuor obſeruabuntur intentiones.

Prima vitam ordinat.

Secunda corpus euacuat, præſertim phlebotomia:

Tertia vulnera debitis remedijs regit, & gubernat.

Quarta accidentia corrigit.

De

De Vlceribus in vniuerſali. Cap. 1.

VLcus eſt ſolutio vnitatis in car ne, quando iam continet ſa- niem, & pus. *Ex Auic.*

Cauſę geminę ſunt, nempe an- tecedentes, & coniunctæ: ante- cedētes ideſt cacochymia ſola qua litate peccans. Coniunctę intépe- ries illa, quam malitiam comple- xionis vocant.

Signa ex iudicio ſenſus, & viſus petenda ſunt.

Cura quattuor habet inten- tiones.

Prima vitam ordinat.

Secunda materiam anteceden- tem auertit, & intercipit.

Tertia ſympth. corrigit.

Quarta vlcera ſanat.

De

De Fiſtula. Cap. 2.

FIſtula eſt ſinus arctus, & oblõgus, ac calloſus, indolens: quę magna ex parte ex abſceſſibus male curatis oritur.

Cauſa eſt, quę ſupra.

Signa ſumenda ſunt ab ijs, quę ſecundum eſſentiæ rationem ipſis inſunt, atq. ijs, quæ conſequuntur accidentibus, & affectibus.

Cura particularis quattuor habet intentiones.

Prima orificium fiſtulæ aperit.

Secunda callum eximit.

Tertia ſorditiem mundificat, & abſtergit.

Quarta vlcus ſanat.

De

De Cancro exulcerato. Cap. 3.

CAncer exulceratus eſt ſoluta vnitas maligna, vt ſuperius dictum eſt.

Cauſę ſunt humores melancholici.

Signa ſunt dolor, durities, tumor, vlcera eroſa, & inæqualia conſpiciuntur, plurima ex parte ſordida; labijs prætumidis; aſpectu horrenda, & concreta, humorum colluuie ingrata.

Cura tres habet intentiones.

Prima materiam antecedentem euacuat.

Secunda totum carcinoma prorſus ſcindendum iubet.

Tertia vlcera curari inſinuat, vt vitium non facile reuertatur.

De

De Fracturis oſſium. Cap. I.

FRactura eſt continuitatis ſolutio in oſſe, quam Græci proprio nomine, Catagma vocant, a violẽta quadã extrinſecus irruente cauſa incidens, quæ multiformes ſunt.

Cauſæ fracturarum internę nullæ ſunt; externæ verò ea omnia, quæ contundere, vel diuidere oſſa poſſunt.

Signa oſſis fracti, præſertim per tranſuerſum, ſunt tactu oſſis partes diſiunctę, ſeparatæue, ac varię reperiuntur; membri figura inæqualis percipitur, dum membrum dimouetur, & manu varie tractatur: oſſa colliguntur, & veluti crepitus quidam ex ea colliſione auditur;

tur; pars afflicta contacta dolorem affert, corpus membro fracto haud quaquã inniti poteſt, & cauſę, quæ frangunt, præceſſerunt. Cętera ſigna ex iudicio ſenſus deprehenduntur.

Vniuerſalis fracturarum curatio vnitio eſt; ex qua quattuor particulares ſequuntur intentiones.

Prima, vt fracti oſſis partes recte committantur.

Secunda, vt rite commiſſa, & coniuncta, atq. immota maneant.

Tertia, vt porus gignatur.

Quarta, vt ſympthomata corrigantur.

De luxatione in vniuerſum. Cap. I.

Lvxatio eſt articuli e natiuo poſitu, ſeu proprio acceptabulo

in alienam , atq, inſolitam ſedem prolapſus; quo motus arbitrarius impeditur; Gręci exarthrema vocant.

Cauſæ quædam ſunt externæ, vt caſus percuſſio, & violenta, atq. incongrua membri alicuius extenſio, atq. diſtorſio, ſeu peruerſio. Quædam intrinſecus veniunt, vt mucoſus humor, & pituitoſus, cum in articulis, ſeu iuncturis acervatur; qui articulationis ligamenta primum madefacit, deinde laxiora reddit, & tandem ob eius mul titudinem ſua ſede os ipſum protrudit, at curationem intendimus de cauſa externa duntaxàt.

Signa ſumuntur a tribus potiſſimum; vel enim a ſubſtantialiter inhęrentibus, aut a mala laborantis compoſitione, in qua tumor pręter

ter naturam ea parte apparet, qua os prorumpit, & ſinus, ſeu cauitas inſolita ea, a qua receſſit, manifeſtatur.

Vel ab ijs, quę ex neceſſitate conſequuntur, vt a dolore, qui ex luxatione contrahitur.

Vel ab actione lęſa, ſeu operationibus etiam ex neceſſitate conſequentibus, vt a motu afflictę partis difficultate, aut a priuatione.

Cura quattuor habet intentiones.

Prima communis, & eſt, vt os ad propriam ſedem reducatur.

Secunda, vt deinceps a ſua ſede non amplius prolabatur.

Tertia a dolore, & inflammatione locus vendicetur.

Quarta accidentia corrigantur.

DE VIRTVTIBVS BALNEI CASTRI CERRETI IN AGRO FABRIANENSI IN PICENO.

CVM opuſculum quoddam compilaſſem, ac iam iam in lucem daturus eſſem, occurrit mihi amicus charus, qui verè eſt alter ego, rogauitq., vt in calce operis appenderem virtutes Balnei caſtri Cerreti, cum huius balnei aqua mirabilis ſit in multis morbis depellendis, & quotidie experientia maiora patefaciat. Placuit amico duplici nomine morem gerere, tum quia illi deeſſe nequiui, tum etiam quia ſcio, hoc Balneum valde fuiſſe antiquum, vt ex teſtimonio ſcripturarum, ac veſtigijs lapidum pul-

chrorum emblematum, ex pelui ęneo, aquæductiſq. plumbeis in eo loco repertis, fides perhibetur. Cumque ad humani generis ſalutem tendat, Deoq. & hominibus placiturum exiſtimem, libentiſſime prouinciã hanc ſum aggreſſus.

Eſt igitur huius Balnei locus diſtans a caſtro Cerreti per medium milliare, ortumq. recipit in colle frugifero, vbi copia generoſi vini, & aliorum fructuum colligitur, tendens ad occidentem verſus. Hic collis ab aſperis montibus ex altera parte cingitur: ex alia verò ex vallibus mediocriter frugiferis, neq. aqua alibi ſcaturire videtur, niſi eo loco, quò inter cœnum pullulat, in agro fertili. Quæ aqua lenis eſt, habens ſupra ſe bituminis aſpectum, odorem ſulphureum, ſapo-

rem non ingratum, calorem ſubtepidum, potabilis eſt ſatis; nam ex ea bibuntur vſq. ad lib. 25. non nauſeam, non grauedinem ventriculo, non vomitum, nec aliquod parit incommodum, & ante horæ ſpatium redditur & per vrinam, & per ſeceſſum paulatine, placide, atq. iocunde taliter, vt ex leuamine ſubſequente, & aſſumptionis gratitudine miro deſiderio teneantur Aegrotantes ad alteras deuenire aſſumptiones: cuius aquæ minera ex ſulphure, & nitro conſtat, atq. bitumine, pro vt ex elambiccatione, ebullitione, colatorio, atq. experientia colligere potui.

Tempus potationis congruum huius aquæ eſt à calendis menſis Iulij vſq. ad med. menſem Se-

ptem-

ptembris. Hora verò matutina eſſe debet, ſub ortu ſolis. Quantitas aquæ aſſumendæ erit ad tolerantiam Aegrotantis. Exercitium poſt aquę abſumptionem moderate fiat, non autem violenter; cibaria conuenientia eſſe debent boni ſucci, laudabiliſq. nutrimenti. Hora aſſumendi cibum ſit poſt, quàm aqua reddita fuerit penitus. De ſero autem cœna breuis fiat, aut nulla: ſomnus meridianus interdicitur, neq. in coſtitutione temporis plurimum pluuioſa, nebuloſa, aut frigidiori hęc aſſumatur aqua; &, vt vnico verbo dicam, illæ obſeruentur conditiones, quæ in cæteris balneis præmitti, & obſeruari ſolent.

Hoc Balneum obſeruatum eſt conferre, & curare infraſcriptas

ægritudines, videlicet.

Et primo vitia hepatis notanter corrigit; nam ſcabiem antiquam, & lepram non confirmatam; vlcera crurium, & cutis vitia breui, & tutò curat.

Rheumæ catarri: ſubuenit, vocis raucedinem, linguæ humiditatem, ac palati tollit; aſmaticos liberat; deperditum appetitum reuocat; ſtomachum debilem roborat; vermes necat, & educit; hepatis, & lienis obſtruptionem aperit; bonum colorem gignit; inteſtina ſicca fæce obſeſſa euacuat; arenulas, & lapillos educit; vrinam retentam prouocat; mucoſitates pellit; renes abluit, & corroborat: neruos nuper contractos emollit, diſtendereq. facit, ac firmat, pro vt experientia obſeruatum eſt; plurimaq.

rimaq. alia operari dicitur; at, quæ proprijs oculis non vidi, conſulto dimittam; quoniam pro vt dies diei eructabit verbum, alter forſitan longiori, atq. elegantiori ſermone plurima alia propalabit ad laudem omnipotentis Dei, cuius Nomen ſit in ſecula benedictum. Amen. Anno Domini 1596. Die vero prima Menſis Martij.

DVRANTES SCACCHVS PETRO IACOBO, ET FRANCISCO FILIIS S. P. D.

ET ſi neàum ſemel, & bis, ſed pluries inter familiaria colloquia, filij cariſſimi, multis rationibus vos fuerim exhortatus, vt poſt cęterarum litterarum ad medicinæ ſtudia animum appuleretis, & illa potiſſima ratione vos compellebam: qua demonſtratum fuit, Domum noſtram medica facultate bene, honeſteq. dignitatem, & lucrum multis ab hinc annis adeptam fuiſſe: nuper cuilibet veſtrum dedi litteras, dum Romæ, & Maceratæ philoſophicis diſciplinis apud Reuerendos Patres Ieſuitas operam nauaretis, an adhuc eſſet animus in dubio, reſponſionem veſtram accepi, Medicinam mecanicam, ſordidamq. cenſeri: & ideo tempeſtate noſtra valdè pauci illam profitentur. Quamobrem nec vobis illam placere. Aegreſcero quidem ſententiam veſtram, & ni ætati, adoleſcentięq; veſtræ compaterer, ad verba detractoria prorumperem: ſed, vt cognoſcatis, in tenebris errare, quemadmodum oretenus validis rationibus artis præſtantiam, ac nobilitatem demonſtraui: ſic & nunc hac epiſtola litteris commendabo. Cæterum, dum in dubio eſt animus, paulo momento huc, vel illuc impellitur. Vnum ſemper pręcauendum, vt, vbi genius veſter vos trahit, ibi elaboretis.

Medicinā omniū artiū, ac ſcientiarū nobiliſſimam, aut certe nulli poſtponendam, ſiue id quæratur ratione originis, ſiue ratione auctus, & incrementorum, ſiue materiæ, ſiue finis, aut ratione eorum, qui eam exercuerunt; & omnia denique re-

ſpician-

ſpiciantur, quæ ad eam pertinent, vt probabimus inferius, ab illius origine exordientes.

Origo igitur Medicinæ, ſiue Hebræos, & Arabes ſequamur, ſiue Græcos, Aegyptiosq. theologos, ab ipſa diuinitate manauit. Hæbræi enim Adam primum humani generis parentem diuino eam numine adeptum ferunt, vt Marſilius Princeps Platonicorum ſcribit lib. 4. Epiſtolarum; apud reliquos quoq. Medicina Dijs primum inuentores ſuos aſſignauit, & Cælo dicauit, ipſaq. ab Oraculis Deorum multifariam petita eſt, ſicuti prodidit Plinius lib. 29. cap. p.

Medicinæ inuentores Iſidem Aegyptiorum reginam, & Mercurium apud ipſos Aegyptios primum illam inueniſſe tradit Diodorus Siculus lib. Bibliothecesp. vbi & ipſe tradit orum, iſidis filium medicinam a matre edoctum multum hominibus tum oraculis, tum medelis attuliſſe vtilitatis. Iſidem citat Galenus lib. De comp. medicamentorum. & quincto meth., & alibi.

Conſtat, Mercurium plurimas herbas inueniſſe, & in Deorum numero receptum. Apollo quoque non ſolum repertor, ſed Deus, cum plurimi ægrotantes ex ipſius remedijs ſanitatem conſequuti fuerint, habitus eſt. Nunc Ouidius lib. 1. Metam. inducit hæc dicentem, dum Daphnem alloqueretur.

Inuentum Medicina meum, opiferq per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Cur autem Apollini tribuatur inuentio medicinę, reddit Macrobius lib. p. Saturnalium. cap. 17. rationem, de illo loquens, Huic attribuitur medicinę poteſtas: quia temperatus calor ſolis morborum omnium fuga eſt. Chironem, & herbarum quarundam, & partium chirurgiæ inuentorem fuiſſe tradit Virgilius in carmine hendecaſyllabo, dicens.

Viuit

Viuit pectore ſub dolente vulnus,
Quod Chironia, nec manus leuaret.
Nec Phœbus, ſoboleſue clara Phœbei.

Et Antonius Sabellicus.

Reperit Hæmoniæ Chiron vetus incola Terræ
Herbarum medicas vires, & nomina primus.

Aeſculapium ab Apolline patre medicinam didiciſſe, & hominibus tradidiſſe fertur. Proinde inuentorem fuiſſe, & ante ipſum incognitam fuiſſe, teſtis eſt Virgilius lib. 7. Aeneicos. ſic de eo loquens,

Tum pater Omnipotens aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis ad limina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem Medicinæ talis, & artis
Fulmine Phoebigenam ſtygias detruſit in vndas.

Et interpres Euſebij lib. 3. De præparatione. inquit,

Natus ego è ſacra Trica, cui tota medendi
Ars, cui ſeſe omnis pariter ſapientia debet,
Quem mater peperit.

Aeſculapium baculum nodoſum deferre, & in eo draconem inuolutum ferunt, vt oſtenderet artis difficultatem, vt Ouidius lib. 15. Metam. aſſerit, & agreſtem vocat. Idem aſſerit Hippoc. lib. p. Aph. p. Vita breuis, ars verò longa & c. De dracone vero Macrobius lib. p. cap. 20. quia acutiſſima, ac peruigili oculorum acie præditum illum tradunt auctores: nec ſolum morbos curare, doloreſq. leuare, ſed & mortuos ad vitam reuocare, vt Serenus Samonicus: cuius poſt principium ſui libri hi verſus ſunt de Aeſculapio.

Tuq. potens artis reducere, qui tradere vitas
Noſti, atq. in Cœlum manes reuocare ſepultos,
Qui colis Aegæas, qui pergama, quiq. Epidaurum,

Huc ades.

Orpheus vatum vetuſtiſſimus, & Aeſculapij coetaneus, ſic de illo in hymnis cecinit.

Medice omnium Aeſculapie Domine Pæan,
Veni beate Saluator, vitæ finem bonum præbens.

Præterea tradit Empedocles philoſophus, & Medicus celeberrimus, mulierem defunctam in vita viuam reſtituiſſe: ex quo maximam gloriam conſequutus eſt, vt teſtatur Heraclides Ponticus in libro De deperdita reſpiratione. & poſt eum Diogenes Laertius. Aſclepiadem quoq. famigerabilem inter medicos hominem examinatum, elatum, comploratum ab rogo domum viuum reduxiſſe, vt tradit Plinius lib. 7. cap. 37. & lib. 26. cap. 3.

At quia defunctorum animas ad ſuperos arte medendi Aeſculapius traduceret, fuit a Dijs inferis accuſatus coram Ioue, & fulmine ictus occubuit, vt philoſophi, & Poetæ aſſerunt, vt Ouidius lib. 6. Faſtorum, inquiens,

Iupiter exemplum veritus direxit in illum
Fulmina, qui nimię nouerat artis opem.

Qui plura de Aeſculapio noſſe cupit, legat Tullium lib. 3. De natura Deorum, Pauſaniam lib. 2. Cornelium Tacitum lib. 12. & reliquos. Alios etiam fuiſſe medicinæ inuentores quā plurimos, vt Podalirius, Machaon, Nicomachus Machaonis filius, ac Gargatus alter Machaonis filius, & cæteri, qui omnes in Deorum numero exiſtimati ſunt, cum & medicinā adinuenerint, & auxerint. Ideoq. Aegyptij, Græci, & alia pleraq. gentes illos omnes diuinis ſunt honoribus proſequuti, & medicinæ Deos arbitrati, & hoc vt tradit Quinctilianus auus declamatione 268. vt eam vix crederent hominis potuiſſe ingenijs inueniri, ſiue, vt ſubdit, quia medicina per

ſe ſa-

ſe ſacra res eſt.

De morborum autem quantitate non eſt numerus. Ideo Plinius libro 7. cap. 51. morborum infinitam eſſe multitudinem tradidit. Iuuenalis autem ſatyra 10. dixit,

Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras,
Promptius expediam, quot amauit Hippia mœchos:
Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno.

Et Virgilius lib. Georgicorum 2.

Sed neque quàm multę ſpecies, nec nomina, quæ ſint,
Eſt numerus, neq; enim numero comprehendere refert.
Quem qui ſcire velit, libyci velit æquoris idem
Diſcere, quàm multę Zephyro turbentur arenæ,
Aut vbi nauigijs violenter incidit Eurus:
Noſſe quot Ionij veniant ad littora fluctus.

Medicinę petuntur ex omnibus herbis, Arboribus, fruticibus, animalibus, lapidibus, mineralibus, & vt vnico verbo dicam, ex omnibus, quæ ſupra terram ſunt, & quæ infra, & ſubtus latent.

At ex obſeruatione Medicinam inuentam tradunt, cum viderint homines alia ſalubria, alia inſalubria, artem medicinæ effecerunt, vt inquit Quinctilianus lib. 3. oratoriarum inſtitutionum, & Ariſtoteles in procmio metaphyſicę ſcribens, medicinam ab experientia ortam: quod & poſt ipſum tradit Bal. Conſil. 136. Cornelius Cel. lib. p. Poſt prædicta ſciendũ, quòd cum ad vſque Peloponneſiacum Gręcię bellum, quod geſtum eſt a tercenteſimo Vrbis Romæ anno, in nocte denſiſſima delituiſſet medicina, eam veluti interemptam tunc primum, teſte Plinio lib. 29. cap. p. & Galeno in medicorum introductorio Hippocrates Cous e tenebris in lucem reuocauit, & eam veluti alio quodam partu genuit, & per omnia membra aluit, eduxit,

veſtiuit,

veſtiuit, & omni ornatu inſignem reddidit. Et peſtilentiam ab Illyricis venientem prędixit, ac diſcipulos ad auxiliandum circa Vrbes dimiſit. ob id honores illos a Grecis meruit, quos Herculi decreuerant; vt teſtis eſt Galenus lib. De Theriaca cap. 6. inquiens, Mirabiliſſimus Hippoc. iuſſit per totum accendi ignes floribus odoratiſſimis flagrantes, vnguentiſq. ſuaueolentiam ſpirantibus perfuſos, vt ita aer tabificus emacularetur, atq. purior, ſincerior, ſalubrior a ſpirantibus ſuſim ſubduceretur. Nec ſilentio prætereundum eſt; quòd Suidas ſcriptum reliquit, quod Hippocrates a maximo Regum Artaxerſe expetitus, litteriſq. & ingentibus donis inuitatus, ire contempſit, vt meminit Plutarchus in Catone Cenſorio: ſed & literas ipſas, quas in id Artaxerſes ad Hyſtanem ſcripſit, poſteritati commendauit Suidas, ſic ſe habens, Artaxerſes Hyſtani Helleſponte præfecto ſalutem. Hippocratis Coi medici Aeſculapio prognati ad me artis ſama peruenit: da igitur operam vt aurum illi tribuas, quantum cupit, aliaq. item, quorum indiget, & ad me mitte: erit enim par honore ſummis in Perſide viris. Hęc epiſtola reperitur inter volumina Hippoc. ſimul cum reſponſo ad Regem dato: ex qua epiſtola patet, in quanto honore, pretio, & ęſtimatione fuerunt medici apud famoſiſſimos Reges: hunc Hippocratem naturæ peritiſſimum, & maximum medicorum vocat Seneca ad Lucullum epiſtola 95. & Plinius lib. 7. cap. 51. appellat principem medicinę. Gellius, & Macrobius diuina virum ſcientia. Diuus Auguſtinus lib. De ciuitate Dei 5. cap. 2. nobiliſſimum medicum appellat.

Diſticon in Hippocratem.

Lucifer aſtra velut fulgenti lumine luſtrat;
Hippocrates per te ſic Medicina micat.

Hunc

Hunc Hippocratem cõmendauit Galenus ad aſtra pluribus in locis, ſimiliter Cornelius Celſus, & omnes antiquiores, ac recentiores medici. Baldus in l. 1. col. 4. verſ. Pro cuius declaratione ff. Si cert. pet. dicit, ſtandum eſſe libris Hippoc. tanquam authenticis. quem ſequitur Panorm. in c. 2. in fine. De fraude. Paulus Iuriconſ. in l. Septimo ff. De ſtat. homi. 7. menſe naſci perfectum partum, iam receptum eſt propter auctoritatem doctiſs. viri Hippoc. Poſt Hippocratem fuerunt Diocles Chariſtius, Praxacoras, Chryſippus, Herophilus, Eriſiſtratus, qui cognouit morbum ex amore natum, ac medicinam in tres ſecauit partes, in diætam ſcilicet, pharmaciam, & chirurgiam. Serapio Alexandrinus, Apollonius, Herophilus, Heraclides Tarentinus, Aſclepiades Rethoricæ magiſter medendi rationem reſtituit: Dioſcorides, Antonius Muſa, Cornelius Celſus, Teſſalus, Plinius, Soranus, Galenus poſtea emicuit continue: qui Claudius Galenus Pergamenus Niconis illius geometrę, atq. aſtrologi filius reliquos omnes ſcriptores medicos (Hippocratem ſemper excipio) & ingenij magnitudine, & doctrina, & diligentia facile ſuperauit: quem nonnulli perhibent, centum, & quinquaginta annos vixiſſe propter magnam temperantiam in his, quæ ad vitam longęuam faciunt. Sed longe mirabilius eſt citra vllam omnino affectionem, ſola defecit ſenectute. Hinc quibuſdam emanauit adagium, vt Galeni valetudinem dicamus pro ea, quę vltra hominum captum nimis ſit proſpera, nimiſq. inoffenſa, licet aliqui, ac illius ſcriptura interdum ægrotaſſe, nec illam longęuam vitam traduxiſſe aſſeuerẽt. Galenus ex proprietate græcæ linguę ſonat Quietum, & Tranquillum. Euſebius Cæſarienſis lib. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ 5. cap. vltimo. tradit auctoritate aliorum, Galenum a nonnullis pro Deo coli;

Angelus iuriſconſultus Conſ. 110. incipiente, Sanctiſſima, & Illuſtriſſima Regina. col. 4. Principem medicorum appellat. fuit enim omni diſciplinarum genere ornatiſſimus, vt omnes de eo loquentes vno ore prædicant. Et ideo Iuſtinianus in proœmio .ff. in fi. Parentem omnis virtutis appellat. is igitur lib. 11. Iliados. medici dignitatem exprimens, ait,

Vir medicus multis alijs præſtantior, vt qui
Corpore tela trahens, medicamine vulnera curet.

Homerus lib. 4. Odyſſeæ inquit.

Medicus autem quilibet ſciens ſupra omnes homines: at medicus, non, niſi ætate confecta, dici poteſt abſolutus propter artis difficultatem, ex quo antiqui illi Aeſculapium barbatũ faciebant, veluti virum, qui iam annos perfectæ virilitatis attigiſſet, vt ſcribit Virgilius in Priapeis.

Intonſa ſemper Aeſculapio barba eſt.

Propter artis difficultatem, quam aſſequi non poſſumus ſine aliarum ſcientiarum, & artium præcognitione. Ideo dicebat Hippoc. etiam, quòd ſenex ſim, non adhuc ad finem medicinæ perueni.

De huius artis dignitate habemus ex ſacris litteris in Eccleſiaſtico. cap. 38. Honora medicum: propter neceſſitatem enim creauit illum Altiſſimus. Deinde ſubdit, A Deo enim eſt omnis medela, & a Rege accepit donationem. Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu Magnatum collaudabitur. Altiſſimus creauit de terra medicinam, & Vir prudens non abhorrebit illam. Deinde da locum medico: etenim illum Dominus creauit, & non diſcedat a te: quia opera eius ſunt neceſſaria: ſed & Chriſtus Dominus noſter ſeſe medicum eſſe profitetur, cum dicit, de ſe loquens, Non opus eſt bene ualentibus medico, ſed male habentibus. vt refert

ſert Matth. 9. Marcus 2. Lucas 5. Diuus Auguſtinus, Magnus de Cęlo venit Medicus: quia magnus in terra iacebat ægrotus. Deum ſecuti Sanctiſſimi viri medicinam etiam exercuerunt, & comprobauerunt, vt ex dictis ſatis conſtat: nam Moyſes a Deo medicinam edoctus fuit: Heliſeus, Iſaias, Eſdra, Ieſus filius Syrac; Diuus Gregorius homelia 4. Paulum Apoſtolum medicinali arte vſum tradidit. Lucas Euangeliſta fuit medicus. Sanctus Vrſicinus ſub Nerone imperatore martyrium paſſus, medicus fuit. Pantaleon, Euſebius, Baſilius Magnus, Coſmus, & Damianus, diuus Ambroſius, & quàmplurimi alij. Atqui non ſolum Sanctiſſimi Viri, ſed & Angeli, & Archangeli medicinam homines docuerunt. Michael Archangelus Aquilinum quendam febri correptum medicinam edocuit. Tobias a Raphaele Angelo edoctus eſt, piſcem exinterare, atq; illius cor, fel, & iecur vtiliter ad medicamenta reponere, vt ſcribitur Tobiæ 6. Reges quàmplurimi medicinam ſectati ſunt, vt Alexander Macedonum Rex, Lyſimachus, Antiochus, Dionyſius Siracuſanus, Maſiniſſa, Attalus, Mytridates, Iuba, Agrippa, Auicenna, Meſues, & reliqui, de quibus apud bonos auctores videre eſt. Imperatores etiam Romanorum medicinam calluerunt, & primus Auguſtus ille Cæſar, Tyberius, Nero, Adrianus, Titus, Conſtantinus: neq; interim ſilentio prætereundi ſunt Romani Pontifices, Nicolaus quinctus, omni laude digniſſimus, medicus fuit: Euſebius Pontifex, Ioannes vigeſimus ſecundus, qui primum vocabatur Petrus Hiſpanus, qui Theſaurum pauperum, canones medicinæ, & alia volumina poſteritati reliquit: & Paulum ſecundum, qui, vt tradidit Platina, ęgrotantes curiales inuiſebat, adhibitiſq; etiã medicamẽtis curabat.

Poetæ quàmplurimi artem medicam excoluerunt: quos breui-

ſitatis gratia ſilentio inuoluendos cenſui: & duntaxat aliquos philoſophos, qui medendi ſcientiam, & ſapientiam profeſſi ſunt, recenſebo: inter quos primus fuit Pythagoras, Empedocles, Plato, Epicurus, Democritus, Alemon, Ariſtoteles, Theophraſtus, Eudoxus, Heraclides, Simon Athenienſis, Metroderus, Apollonius, Epimenides, Plutarchus, Apulegius, Proclus, Theodoſius, Alexander Aphrodiſeus, Porphyrius, Epicurus, & reliqui alij philoſophi non ignobiles, qui in hac arte pariter, ac in philoſophia aut ſcripſerunt, aut aliàs ſeſe exercuerunt: medicina enim ipſa philoſophia eſt, aut certe vtraq; alteri tam recte copulatur, vt ne tantillum ſegregari poſſit: meritoq. Plato, Ariſtoteles, & Galenus, vt pleriq. citant, aut verius Ioannes Alexandrinus in commentarijs in librum Hereſeos. philoſophiam, & medicinam ſorores eſſe dicebant; aliam animi, alteram corporis conſeruatricem. Et propterea philoſophia medicina animi dicitur, prout inquit Tullius lib. 3. atq. iterum 4. Tuſculanarum quęſtionum. Sed vt poſtremo vniuerſas eius laudes ſummatim complectar,

Si permultas res ſola cõmendat Antiquitas, hanc artem primam omnium reperit neceſſitas.

Si ſcientias Auctores illaſtrant, huius inuentio ſemper Dijs attributa eſt.

Si quid auctoritatis addit honos, non alia tam paſſim, ac tandiù diuinos honores meruit.

Si magni fiunt, quæ ſummis viris probatur, hęc ſummos Reges, hæc Primates non ſolum delectauit, verum etiam illuſtrauit.

Si difficilia, quæ ſunt, ea ſunt, & pulchra ex Solone, & Platone in Protagora, nihil hac operoſius: quæ tot diſciplinis,

nis, tantarum rerum proueſtigatione, vſuſq. conſtat.

Si dignitate rem æſtimamus, quid excellentius, quàm ad Dei benignitatem proxime accedere?

Si facultate, quid potentius, aut efficacius, quàm totum hominem certo excidio periturum ipſi poſſe reſtituere?

Si neceſſitate, quid æque neceſſarium, atq. id, ſine quo nec viuere, nec naſci licet?

Si virtute, quid honeſtius, quàm ſeruare genus humanũ?

Si vtilitate, nullius vſus neq. maior eſt, neq. latius patet.

Si compendio, hæc in primis frugifera eſt, vt nihil omnino dubitandum ſit, non derogare nobilitati: (hæc enim ea res eſt, de qua quærimus) qui ſe huic arti dicarint. Probatum ſatis, ſuperq. eſt, medicinam nobilem eſſe

Ab antiquitate. A facultate.
Ab inuentoribus. A neceſſitate.
Ab honoribus. Ab vtilitate.
Ab artis difficultate. A compendio.
A dignitate.

Non ſum anceps, ex dictis vos cognouiſſe huius artis præſtantiã, & dum aliter ſentiebatis, nunc palinodiam recantaturos: nam quicquid paraphraſtice vnica epiſtola pro mea tenui facultate dici poterat, explanatum eſſe, non reor.

Faxit nunc verus Protomedicus Deus, vt eam eligatis profeſſionem, quæ poſtquam Neſtoream, felicemq. duxeritis vitam, ſit vobis ſcala Cæli: vbi æterno bono per omnia ſæcula valeatis frui. Valete. Fabriani die prima Martij 1596.

FINIS.

Ioſephus Ferretius Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Coloſſeñ. & Coadiutor Vrbinàs.

Subſidium Medicinæ Dñi Durantis Scacchi Ciuis Fabriañ. videndum à Reuiſoribus à nobis deputatis curauimus, qui cum nihil in eo alienum à fide, ſed cuncta bonis moribus conſentanea inuenerint, vt formis excudatur licentiam conceſsimus. In quorum fidem, & c. Datum Vrbini ex Palatio Archiepiſcopali Die XV. Septembris Anni 1595.

Placitus Vagnarellus Cencellarius.

Errata ſic corrigito.

Pagina.			Linea.
10	branam	membranam	1.
27	lutis	lucis	21.
28	edoctas	edoctus	8.
39	dignoſcitur	dignoſcuntur	in poſtilla.
40	cataratta	cataractę	in poſtilla.
44	ærea	aerea	9.
46	operationi	operatio	in poſtilla.
51	arc	arce	2.
56	patiente	patientem	17.
63	coties	toties	12.
65	inducatur	induatur	3.
73	ſcitabimur	ſectabitur	18.
75	pant	parit	6.
83	olixati	elixati	20.
92	ſiccam	ſciam	12.
97	madecocti	malecocti	16.
109	vlterius	alterius	12.
161	incidit	incidi	6.
164	pareat	pariat	17.
172	dolreom	dolorem	11.
183	priſtina	priſtine	21. vltimo.
184	quia	qui	13.
187	tuto	tuti	21.
229	lentem	lentum	10.
245	tinta	tenta	15.
263	ab, ille	ab ilio	21.

277 deli-

277	deligito	deligato. 1.
327	ile	illa 21.
334	&	ex 10.
334	tironibus	Tyrones 12.
390	lib. 25.	15.